

*Antuerpiæ ex Officina Plantiniana
Balthasaris Moreti, M.DC.XXXIV.*

BERNARDI BAVHVSII
ANTVERPIANI
è Societate IESV
EPIGRAMMATVM
LIBER I.

In sæculi nostri perditissimos mores.

TEMPORA væ! væ sæcula, væ! væ ferrea sæcla!
Sæcula Noæam digna videre ratem!
Digna quibus cælo neque Sol neque Luna ministret,
Nec sua sidereæ lumina dent choreæ:
Sed quibus æternâ pictum ferrugine cælum
Incubet, & piceâ nocte perennè premat.
Ah,ah! iam Gyaros missa est pulcherrima Virtus,
Iam terris Pietas exulat atque Pudor.
Hinc passim innuptæ nuptæ, multusq; per orbem
Ambulat Aegisthus, multaque Phædra domi est.
Iam totum pharetræ pondus consumsit in arcum
Telifer ille Puer, lethifer ille Puer,
Qui geminâ geminũ comburit lampade mundum,
Quoque iacit Phœbus, proijcit ille faces.
At puer Ogygius rubicundæ consitor vuæ,
Non habet in nostrum regna minora caput.
Lauriger hic victis quondam remeabat ab Indis,
E toto victor nunc ligat orbe comam,
Nunc vinosa Hecube, vinosa Polyxena virgo est,
Nunc Priamusque senex, Astyanaxque bibit.
Dulcè bibit, non dulcè furit; cùm turgida vena est,
Mars subit, & calidis ARMA VIRVMQ. canit.
Ilicet exiliunt ad iurgia Centaurêa,
Ad Centauréas exiliuntque neces.
Tum petitur diris cælum, tum vapulat æther.
Tũ Phlegethon nihil est, Styx Acheronq; nihil:

Omnia rhonchiſono tunc ſunt ludibria naſo,
Quidquid Auernus habet, quidquid Olympus habet.
Publica quid memorem? Caluinia ſæuit Enyo,
Et fauſtâ, heu! paſsim prælia bellat aue.
Sanguine iam noſtro mutarunt arua colorem,
Vidi ego purpureas fluminis ire vias.
Ilias eſt, quid plura querar? vis, liuor, & alba
Ambitio, & flauus Pygmaleonis amor.
Omnia iam regnant, omni ſunt aëre noxæ,
Omnia ſunt multo pectora nigra dolo.
Hem, Domitor mundi, ceſſas? nec fulmina ſtringis?
Nec rapidum ardenti ſulphur ab axe pluis?
Stringit, & ecce pluit: caue munde, & te lacrymarum,
Ne malè diſpereas ignibus, obrue aquis.

In ſeptem Pſalmos Pœnitentiales DAVIDIS *Regis.*

Qui Metanœæos animi ſine vulnere Pſalmos,
Et lacrymas ſicco Dauidis ore legis,
Gætulæ matris puer es, patriſque iubati
Filius, & ferri in pectore frigus habes.
Eia, animo procul omne moue ferrumq; feráque,
Et bibat ex oculis pagina prima tuis.
Deijciant liquidas tibi vitrea lumina gemmas:
Sic, ſic, non aliter vult Liber iſte legi.
Quòd ſi rore tuo vel linea prima notetur,
Cetera nil opus eſt euolüiſſe tibi.
Si neſcis, flere hîc legere eſt; ille omnia legit,
Quem Libri primo in limine pœnituit.

Peccati punitio.

Ad ſcelerum pœnas vltrix venit ira Tonantis;
Hoc grauiore manu, quò grauiore pede.

In Tabulam ADAMI *&* EVAE.

Cœligenæ forma hæc, Protoplaſtique parentis:
Falx huic, huic colus eſt; pellis vtrumque tegit.
Sed cur ora rubent? (namque ora rubentia cerno)
Ad luxum, credo, & ſerica noſtra rubent.

ECCE HOMO.

Si mihi ſtet Libycum lapidoſo in pectore marmor,
Et ſciſſum è medio ſit mihi cor Sipylo,

Nunc tamen vnda fluat, nunc se mea pectora scindant,
Nunc in aquas mea se marmora dissoluant.
Ecce meus IESVS pro me, liuorque, cruorque,
Et tabum, & sanies! ECCE HOMO, nullus homo!
ECCE HOMO, qui pro me! sed flendum est, currite ocelli,
In duo flumina mî lumina liquimini.
Ite piæ guttæ, pallentes currite riui,
Grandibus, indomitis, tabificis lacrymis.
Quid? nondum vlla venit? cessatis lumina? saltem
Vnica, saltem vna ô guttula parua veni.
Me miserum! non vlla venit, non prosilit vlla!
O pie CHRISTE, quis est, quem tu adamas? Adamas.

Ad D. VIRGINEM *Asperi collis, vulgò Sichemiensem.*

Salue Aspri collis, sed non tamen aspera Virgo,
Mitior agnellis, Chaonioque grege.
Nam volucrum certè quæ laus est Chaoniarum,
Est tua; felle carent, felle MARIA cares:
Fraude carent, & fraude cares; nec ruga nec ira
Torquatæ volucri est, ruga nec ira tibi est.
Te melior nulla est, non est te mollior vlla
Vota hominum pronis combibere auriculis.
Vota facit claudus, claudus sua vota reportat;
Vota facit cæcus, post sua vota videt.
Omnia quid memorem? nam millia vidimus ire
Ad MARIAM inualidos, à MARIA validos.
Illi pestiferæ regnant in corpore flammæ,
Huic sitiens toto corpore regnat aqua:
Deliquat hunc tabes, hic lento pingitur auro,
Illum sub lethi dentibus esse putes;
At mox eripitur lethi de dentibus æger,
Porrigit vt medicas Virgo vocata manus.
Ipse adeò huc veniat Morbus, vitamque roget Mors;
Virginis hæc viuet, ille valebit ope.

De Libello THOMAE *à* CAMPIS, *Qui sequitur me.*

Memnonidæ, lampas quos Delia prima colorat,
Et pharetratorum gens Othomannigenûm,

Et tincti moro Mauri, ferrugine Iberi,
Et violâ tinctus Sarmata, Belga rosâ.
Campensem cuncti Thomam noruntque, legûtque;
Dumque erit aura, solum, flamma, salumque, legent.
In tenebris, Thoma, te non sinet iste Libellus,
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Terra vallis lacrymarum,

Ad PAVLVM CAESARINVM.

Verè dicitur, estque Terra vallis
Amarissima, Paule, lacrymarum,
Et plenissima, Paule, lacrymarum.
Paremus strophium, & sinu geramus,
Quod bibat lacrymas quotidianas.
Ah sic est! lacrymas quotidianas:
Quas fleas, dabit omnis hora caussas.
Dolorum omnium, amaritudinumque,
Aerumnabiliumque lacrymarum,
Hæc est patria; Terra nostra vallis,
Non potest aqua vallibus deesse.

Tres hominis hostes.

Vnum Grammaticũ, Logicumque, & Rhetora vitas;
Hos modò vitaris, cetera tuta tibi.
Quis Rhetor? Mundus: fallax Logicus? Cacodæmon:
Semper declinans, est Caro, Grammaticus.

De Amente & Amante.

Dicite cur longa est Amentis syllaba prima?
Insano contrà cur in Amante breuis?
Sic credo; furor est Amenti par, & Amanti;
Sed furor est illi longus, huic breuis est.

Religio Batauica.

Hæc est in Batauis libertas pessima terris,
Fides cuique libera est.
Viuitur in centum, fidibus dicam: ánne fidebus?
Sua cuique domus Ecclesia est.
Et numerus capitum, numerus iam penè siderũ est.
Erubeo; ridet Aluarus,
Barbariemque notat nostram, nec mille fidebus,
Nec vult siderum dicier.
Quid faciam? cogunt Bataui, numerusq; siderum,
Vetat Magister Aluarus.

Vah

Vah Bataui! pudeat, pudeat vos relligionis,
Quam barbarum est vel eloqui.

SPIRITVS SANCTI *imago, Columba.*

Pneuma sacrū niueæ quòd pingitur ore columbæ,
Non est de nihilo, credite; caussa subest.
Ille Deus Pacis, volucres hæ Pacis; amantque
Candida tecta illæ, candida corda Deus.

Ad LINVM CORONATVM,
De Luthero.

Quòd semper sitiens rubentis vuæ
Merum noctibus, & merum diebus
Totis duceret, ille sanctus, ille
Baptistes, Elias, Enoch, Lutherus;
Si nescis, Line, mira, mira caussa est:
Sitis maxima, nempe, veritatis;
IN VINO, Line, VERITAS; studebat
In vino reperire veritatem.

In APPIVM *ebriosum.*

In niueis Appī iam regnat Bruma capillis,
Inque oculis semper vino flammantibus Aestas;
Baccifer Autumnus pingit nasumque genasque;
Cumque bibit, florū dulce illi ad tempora Ver est.
Sic potans, totum in vultu gerit Appius annum.

In LYCAM *è remige Equitem factum.*

Remigibus genitus, linique hamique magistris,
Squamigerum quibus est fallere cura gregem;
Nunc fertur nescire Lycas nomenque genusque,
Splendidus è nautā paupere factus Eques.
Nunc illum madidi generis pudet, atque parentū,
Et matri nuper, Quænam, ait, hæc anus est?
Antè Lycas fuerat, finxit sibi nobile nomen,
Factus Mæcenas, qui fuit antè Lycas.
Sicque salutatur cunctis: Salue & mihi: Salue
Mæcenas atauis edite remigibus.

De S. VRSVLA *Virg. & Martyre.*

O nix! ô ostrum! ô ebur! ô viola! VRSVLA salue,
O de liliolo sanguine facta rosa!
Dic bona, penniferæ quot te tetigêre sagittæ?
Quotque, ô, tortilibus fixa es arundinibus?
Non sat, ait, memini: nā postquā in pectore nostro
Sederat æthereo missa sagitta polo,

Barbaricos nil ſenſi arcus; quoniã tua, CHRISTE,
Abſtulerat ſenſus dĩa ſagitta meos.

Laus DEIPARAE.

Eſt locus in terris, liquor in quem puppifer omnis
Confluit, & laticum quidquid vbique natat:
Eſt, in quam Virtus & Gratia confluit omnis,
Et diæ dotes: hæc maria, hæc MARIA.

De ANCO VELIO *adoleſcente, à Pallade ad Martem tranſeunte.*

Tympana, bombardaſque, triumphaleſq; tonitrus,
Cantriceſque tubas niueo ductas argento,
Et cocco rutilas Aquilas, rutilaſque pyropis,
Tum Tyrias chlamydum luces, & texta ſagorum
Aurea, gemmatoſque enſes, atque omnia magnis
Oblita diuitijs, Bruxellæ viderat Ancus,
Icciacâ nuper lauro dum tempora Magnus
Cingeret Albertus. Belli hinc Puer ictus amore,
Me ſine, mi genitor, bellum peto, dixit. at ille,
Me ſine, mi fili; bellum nego, dixit, & aurem
Vertit. at infelix oculos ſuperaddidit ori,
Et teneris verbis teneras ſuperaddidit vndas;
Queîs motus genitor, Tun' ô poſt Pallada Martem?
Poſt libros gladios? poſt carmina tympana? flebis:
I tamen. Ille volat. bella aurea, & aurea caſtra,
Ferrea mox ſentit; nudo mox nudior Iro,
Et Bacchi, & Cereris, petaſique, ſagique, focique,
Et tecti, lectique, & veſtis, & indigus æris,
Pallet, egetque, ſititque, fametque, algetque, madetque.
Quò nunc Ance? Patri me reddite. redditur æger:
Qui procul illacrymans, Pudet ô pater, & piget, inquit,
Parcito; credideram Bellum, miſer, Adiectiuum.

In GODDAM *Miniſtrum Caluiniſtam bibulum ganeonem.*

Gutture, Godda, tuo, cùm totâ ſalſius vrbe,
Nullumque ſit bibacius;
Inque ligata tibi cùm ſit Venus, & modò Phrynes,
Modò ſis ſtolatæ ſeruulus;
Quid geneſin, cæliique domos, quid ſidera quæris
Naſcente te quæ fulſerint?
Numquid in oppoſito ſentis te Virginis ortum
Sub Amphorâ, vel Piſcibus?

In

In Persam Ducem bello captum, Christiana Sacra fidè suscipientem.

Danaeiâ de gente Dux pharetriger,
Sacris relictis Persicis,
Ad Sacra nuper Christiana transijt,
Quò solueret captum pedem.
Ablutus ergo Episcopali dexterâ,
Vndâque tinctus publicâ,
Impleuit vrbem gaudio; at mox Persicis
Delusit vrbem fraudibus.
Scelus fefellit, quòque falleret magis
(Sermone dulci, at perfido)
Ferebat hoc in ore semper symbolum,
* SOLI Deo honor & gloria.
* *Sol Deus Persarum.*

De VIRGILIO, *veteribusq; Poëtis.*

Lucanus rapidus, numerosus Horatius, Vmber
Masculus, argutus Bilbilitanus olor:
Flumineus totus Naso, salsus Iuuenalis,
Persius est doctus, Silius ore grauis:
Veronæ Passer tener est, placidúsque Tibullus,
Philosophus Carus, Statius armisonus:
Floridus est cantor Stiliconis, grandis & ardens
Et monitor Seneca est; omnia Virgilius.

In lectulum dulcißimi Infantis IESV *recèns nati.*

Lectule, lectule mi, dulcissime lectule, salue;
Lectule liliolis, lectule strate rosis.
Ah nec strate rosis, nec liliolis formosis;
Verùm & liliolis, & benè digne rosis.
Sed prohibet teneris infestus floribus annus,
Et madidi pronus cantharus Hydrochoi.
Cernin', quâ valido veniat niger imber ab Austro?
Densáque quàm tacitis lana cadat pedibus?
Audin', vt Scythicæ bacchentur in aëre buccæ?
Tunsáque Sithoniâ grandine tecta sonent?
Claude MARIA fores, en algida, nuda treménsque
Præ foribus stat hyems; claude MARIA fores.
(Conde sinistellam, dextellam IESVLE conde,
Conde Puelle aures, conde Puelle caput,
Oscula Paruule conde, labella tenerrima conde,
Hoc tege lumen & hoc, hoc tege tempus & hoc.)
Clausit Virgo fores. Age lectule calface Christum,
Calface, io, magni paruula membra Dei,

O ego, mi I E S V, tuus ô si lectulus essem!
Te, te ego vel fuso sanguine calfacerem.
Sic ego; sed contrà Mater: Non sanguine gaudet
Ille meus dulcis, melleus ille meus;
Poscit aquam. Iam nunc dabimus, dulcissima Virgo.
An multam? multam: num gelidam? calidam:
Num dulcem? salsam: de flumine? lumine: fonte?
Fronte. Ohe satis est, iam dabo, Virgo, dabo.

SIMEON. *Luca 2. cap.*

Ten' video? cæci lux optatissima mundi!
Ten' teneo? ô veterum clamor amorque Patrum!
Ten' teneo & video? teneo te dulcis I E S V!
Te video I E S V! te teneo & video!
Venisti tandem M E S S I A maxime; salue!
Venisti Isaciæ spésque salúsque domus!
Sed cur ô clausos non pandis, Paruule, ocellos?
Nec finis vt nocte hac vtraque stella micet?
Nempe hoc est, non te cognoscunt Abramidarum
Pectora cæcorum, Saraïdésque nurus.
Tam cæcas igitur Solymas, nec te quoque dignum
Cernere: noui ego te, lumina pande mihi.
Ah, ah, pande mihi clausos, Puer auree, ocellos,
Occludam gaudens tunc ego, CHRISTE, meos.

In martyrium B. MARTINI *Laterna in mare demersi.*

Spargitur in canas Martinus Tethyos vndas,
Romanam portans per maria alta fidem.
Non tamen exstinxit fidei Tethys impia lumen,
Cur? quia Laterna est, non penetratur aquis.

Ad eumdem.

Tantus eras recti custos, rigidúsque satelles,
Quantus nec Zeno, nec Cato sanctus erat.
Et benè cultus eras Sophiâ; & benè tinctus oliuo
Palladis, Aonijs & benè tinctus aquis.
Grandibus ista tubis cùm de te Fama sonaret,
Tu tibi nec sanctus, nec sophos vllus eras.
O sapiens pectus! sic sic Martine fuisti
Tu Laterna tibi, clara lucerna alijs.

Disce mori.

Certus vt euites Lethen, Acheronta, Stygemque;
Ne viue, tantùm discito semper mori.

QVIRINO *Poëtæ laureato nouo Mystæ.*

Voluebam vranimas dubio sub pectore curas,
An canerem vndenos ad tua sacra pedes?
An tacitus starem potiùs, linguæque fauerem
(Ista rudis Musæ lis & amoris erat)
Cùm Phœbus quâ te canerem, subitò ecce ministrat
Auratam auratâ de pharetrâ citharam:
Multiforam Euterpe buxum: caua barbita, Clio;
Dat calamos Erato; Calliopea lyram;
Plectra Thalia; Chelyn Polyhymnia; mascula cornu
Melpomene, Aeneadum quo canit arma Ducum;
Raucaque tympana, Terpsichore; dat cymbala, sistraque
Vranie: his omnes te celebrare iubent.
Obstupui, fateor, quòd ter tria numina, & ipse
Delius in laudes seruerer ire tuas.
Mirum haud, Phœbus: ait nam Christi vt Mysta Quirinus,
Musarum & Clarij, sic quoque Mysta Dei est.

Vox B. PETRI: *Etiamsi oportuerit me commori tibi.*

Eia age, si ferro, vel stat cruce Christe perire;
Stat mihi, te ferro vel cruce, Christe, sequi.
Non Petrus hæc, sed amor loquitur; quæ deinde negauit
Vox Christum, haud eius, sed tua Petre fuit.

In tumulum ARIAE MONTANI.

Ah quantū os! quàm facundæ hîc emortua linguæ
Plectra iacent, cineres inque abiere leues!
Iurasses Græcum, quoties tereti ore sonabat
Digna Periclëis Attica verba labris.
Hebræamque sonans, verum Salomona putasses;
Verum Arabem, Arrabicos cùm daret ore sonos:
Cumque Syrum exprimeret (fuit hæc quoque copia fandi)
Clamasses, Syrio est lingua ea nata solo.
Ergo vbi tot linguas breuibus compenderat annis,
Nec discenda illi iam foret vna super;
Angelicam optauit linguam quoque discere; Christus
Audijt, angelicum sustulit inque chorum.

Ad

Ad HERODEM.

Bethlemiæ matres vnum te, Herode, precantur
(Non pœnitebit quando feceris, iuro)
Vt laqueo tua colla liges, nodoque sigilles;
Non pœnitebit quando feceris, iuro.

Sacerdos Principi, Regi, Imperatori præstat.

Magnanime Princeps, quem superbi nominis
Ardor & anhela gloriæ torret sitis.
Cuius diu noctuque carpitur iecur
Nouâque semper laudis ardescit face;
Vis esse maior? altius quæris iugum?
ESTO SACERDOS: Principe hic extat super.
Tu, Magne Rex eburnei insessor throni
Aurea superbâ sceptra qui torques manu;
Vis esse maior, & tiaras regias,
Omnesque trabeas & secures vincere?
ESTO SACERDOS: Regibus hic extat super.
Tuque Imperator, quisquis Ausonias aues
Cæsar gubernas: orbis in cuius manu
Iacent habenæ & fræna mundi immitia;
Vis esse maior, & choreis astricis,
Et olympicis ferre propiùs Diuis caput?
ESTO SACERDOS: Cæsare hic extat super,
At tu, Sacerdos, sorte contentus tuâ,
Te culmina altiora ne quæsiueris:
Suprema namque posides fastigia,
Quæ fluxa fluxis vita dat mortalibus.
Homo esse non vis, maior esse si velis.

In OTHONEM *auarum.*

Serit arua centum, & arua centum demetit
Otho quotannis: nil eum fallit seges,
Annique rara pallet ad mendacia:
Tam fida curuis sunt aratra falcibus.
  Natantur illi stagna non minùs decem,
Vitreóque pecore vitrei turgent lacus:
Vuæ beata crescit illi purpura,
Facilisque Flandris erubescit solibus;
Qualis Falernis educatur collibus,
Cuniculosæ aut Celtiberiæ iugis.
Hæc tanta Diuûm, támque larga munera,
Flagellat Otho, væsaniénsque interficit,
Betas fabriles, & capillata intyba,
Et vile porrum, & languidum comans olus.

O lxua

læua mens! ô corda cordis indiga!

ecunias habet Otho, * χρήματα non habet.

* *Pecunias à* χράομαι, *quod est* vtor.

De FABIO *caupone.*

)mne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci:
-egerat hoc caupo Fabius; Bone Iuppiter, inquit,
am dulci miscere mero licet vtile flumen.

D. PAVLVS *vber mundi.*

Vbera lacte fluunt; fluit, en, pro sanguine PAVLO
Lac niueum: mundi totius vber erat.

Poëta de suo in IESVM *amore.*

Te dubitas an amem? (mea lux, meus ignis IESV!)
Te (sed non dubitas) te dubitas an amem?
Dipsadas, atq; hydras, ichneumonas, amphisbęnas,
Aspidas, & cenchres, mortiferásque nepas;
Circæos succos, Sardoáque gramina, Ponti,
Toxica, morborum millia, mille neces;
Hæc mihi si poclo IESV miscebis in vno,
Et fuerit tellus Thessala tota liquor,
Pro te: Quid facies? inquis. Violentus & ardens,
Marmoreisq; oculis; Quid? Rapiam atq; bibam.

Trium Religionis votorum nuncupatio.

Dum rutilus Phaëthon, argentea Cynthia, saltus
Refficient cæli per sosa picta suos;
Mœnia dum Superûm flammis cingentur & auro,
Et Stygij Regis stabit opaca domus,
Stabit ceu Sipyli cautes immota mihi mens;
Quámque Deo dedero dextera, marmor erit.
Et nunc quæ voueo, vos immortali adamante
Scribite Cælicolæ. Scribitis? Incipio.
PAVPER ERO DVM VIVVS ERO. Cretata
Ambitio, & fului sordida cura luti. (facesse
CASTVS ERO DVM VIVVS ERO. Procul
este Suburræ
Vxores olidæ, Thaides este procul.
Non mihi vertigo hæc, vt sim bellator Amoris;
Demens Idaliæ militet alter heræ.
Denique iam libertatis mea dulcia iura
Trado tibi; ô charum NOLO VOLOQ. vale.
NOLO VALE, VOLO DVLCE VALE. Toni-
tralia summi
Testor templa poli, fulmineamque domum.

Dum

Dum tonitru, dum fulmen erit, dum fulminis auctor;
Non mea vos eritis, non ego vester ero.
Et nunc, ô summùm, mea sceptra & regna valete;
Aeternùm, æternùm, NOLO VOLOQVE vale.
Omnia persolui: iam nil tibi, dulcis IESV,
Debeo; nil debet, qui dare plura nequit.

Votum ad VIRGINEM MATREM *pro valetudine pij & eximij vatis* P. NICOLAI SVSII, *Societatis* IESV.

Ille tuus vates SVSIVS, tua buccina, VIRGO,
Ferre potens nomen celsa per astra tuum,
Ille cliens, ô DIVA, tuus, qui supplice voto
Te nocturnus adit, teque diurnus adit,
SVSIVS en languet, pallensque & buxea forma,
Ambulat in morbis iam tria lustra tribus.
Hócne placet Regina potens? sicne ibit in vmbras
Vel sine luce suâ? vel sine laude tuâ?
Nil de te scribet? populi nil mittet in aures
SVSIVS, & vulgi in murmure nullus erit?
Non ita; iam nunc æterno te carmine psallet.
Psallere Virgo iubes? Virgo valere iube.
Ipse rogo, rogat ipse; audi bona: dic semel illi
VIRGO Vale, toties qui tibi dicit Aue.

De CHRISTO *Domino &* PETRO *Apostolo crucifixis.*

Cur PETRI sursū plantæ, CHRISTIQ. deorsum?
Sub terras ibat CHRISTVS, in astra PETRVS.

IESVS CHRISTVS *ad Patres Societatis suæ.*

Macte animis, ô LOIOLAE generosa propago,
Digna meas Aquilas & mea Castra sequi.
Vtar pectoribus fortissima pectora vestris,
Quæ pridem ignauos dedidicêre metus.
Vos infanda manent, & mille pericula lethi,
Mille pericla solo, mille pericla salo.
Sed durate animum: Romani pectoris olim,
Nunc IESV socij est, fortia multa pati.
Ergo agite Eoi vada cærula verrite Ponti,
Romuleâ numquam sollicitata rate;

Frangi-

ngite & Hesperias remis audacibus vndas,
Nec rabidos contra sit timor ire Notos.
ad odoratos positosque sub ignibus Indos;
Tithoni roseos ite videre lares.
boni, geminamque Iauam viridesq; Moluccas,
Ite Antarctoi visere regna Poli.
e, vocat toto cantata Iaponia mundo,
Clausaque sanguineâ China superba serâ.
e, vocant Gentes, queîs Numen mugit in agris,
Et curuum tacitis pascitur in siliis.
e, vbi vicino sorbentur flumina Phœbo,
Peruuiæ ad nigras Brasiliæque plagas.
Currite, currite, quaquà iter est, Boream per & Austrum,
Et per flammiuomi Solis vtramque domum.
Et Morinos alios, & Thulas quærite; nam sunt
Mille super Thulæ, mille super Morini.
Sed petitis, quænam de tot mihi præmia terris.
Quas ferri gazas, quæ mihi sceptra, velim?
Parcite: nil horum; nec regia sceptra, nec aurum,
Nec ferte Arabij nobile vermis opus;
Non niueos onychas, non rubro è littore gemmas,
Nec cincinnati mollia fila croci.
Lappæque tribulique, & fungi hæc omnia: scitis
Quæ vos ferre velim munera? ferte animas.

Vinum.

Coï vox Senis est, nec dilige, nec fuge vinum.
Nam nocet, & prodest; hinc modicum, hinc nimium.
Contrà ego, non contrà: fuge vinum, dilige vinum;
Fer puer huc, tolle hinc; huc modicum, hinc nimium.

R. P. HERMANNO HVGONI è *Societate* IESV *de scriptionis origine scribenti.*

Pauca Philetæo meditabar scribere metro
Versiculis claudis, imparilique pede;
Poscebam Phœbum calamos, vnamque Sororum
Quæ bifidum culmen Musicaque antra colunt:
Poscenti Phœbus calamos Virgoque negauit;
Fregerat ille suos, fregerat illa suos.
Ite mei vates, dixit Deus, & Dea dixit,
Ite, dabit calamos iam meus HVGO nouos.
Ite, nouas meus HVGO dabit tabulasq; notasque,
Ite, dabit ceras iam meus HVGO nouas.

Ite,

Ite, nouum meus HVGO dabit graphiumque stylumque,
Ite, & litterulas iam dabit HVGO nouas.
Ille HVGO, quo Gorgonei de fonte caballi,
Plusque è Cyrrhéô flumine nemo bibit:
Ille HVGO, quo purpurei de Vulnere Christi
Plus MARIAE casto ex vbere nemo bibit;
Ille pius, simul ille HVGO doctissimus, ille
Ars nulla, & nulla est cui peregrina schola;
Hippocrenigenarum grande decus Musarum,
Grande decus Sophiæ, grande oleæque decus.
Testis adest non grande Liber, densumq; volumen,
Sed qui vel paruæ est sarcina parua manus.
Et tamen ex illo nemo non doctior ibit,
Varro licet redeat, Panthoïdesque senex.
Discere vt indoctus queat hinc, dedíscere doctus,
Is malè quæ didicit, hic malè quæ docuit.

Heros Italus,

Aestus erat, superaque Canis regnabat in aulâ,
Herbicremâ torrens herbea rura face.
Cùm nuper Calabris in montibus Italus Heros
Heroum ferret per mala tesqua pedem
Milite cum multo; manabat salsa per artus
Vnda sub ardenti Sole, Leone, Cane.
Sed madidi sudore, arebant gutture cuncti;
Vna vocabatur guttula, nulla fuit.
Parua tamen paruo fuit vndula visa sub antro,
Poturo potuit quæ satis esse Duci.
Quā spernens Heros fortissimus, Hanc, ait, omnes,
Si bibero, sitient; si sitiam, biberint.

IESV CHRISTO *crucifixo.*

Caucaseæ rupes duræ, sunt robora dura,
Duraque tardipedum cornua torua boum;
Dura silex, vitreumque gelu, dens durus aratri,
Duraque de Pariis marmora scissa iugis;
Duraque quæ Siculis restant incudibus æra,
Ignibus ingenium vix domitura suum;
Et lassi quondam Brontes Steropesque fatentur
Durius æterno nil adamante dari.
Dura hæc: sed qui oculis siccis te, CHRISTE, tuetur
Pandentem teneras ad duo ligna manus;
Et tua purpureo rorantia membra cruore,
Diaque vulnifico tempora cincta rubo,

Qui

Qui videt hæc lentus, celeri neque carpitur igne,
Nec se Magdalias eliquat in lacrymas,
Robore, rupibus, & silice hic, cornuque, geluque,
Ferro, adamante, ære, & marmore durior est.

Die Veneris CHRISTVS *passus.*

Luce obijt Veneris, Veneris fle turba: videtur
Caussa DEI passi non minima esse Venus.

De extremo Iudicio,
Ad MELISSVM CRVCIVM.

Criminis omnis,
Omnisque nigri,
Purus vt omni
Tempore viuas
Moriture CRVCI;
Vsque, ac vsque,
Siue diurnum
Rutili Phœbi
Luceat aurum,
Seu nocturnum
Phœbes niueæ
Micet argentum;
Vsque, ac vsque,
Memori mente
Hæc duo tecum
Verba reuolue;
Quæ de summæ
Nubibus æthræ,
Formidando
Pronus ab arcu,
Magnâ IVDEX
Voce tonabit:
Hinc maledicti,
Huc benedicti,
ITE, VENITE.

Quis Iesuita?

Hunc esse verè Iesuitam dixeris,
Quem per rubentem & Sole & auro Persiam,
Crispum per Afrum, perque Memnonias domos,
Et horridam Arcton, vna mittit littera.

Tacere.

Dicendi ars magna est; maior, mihi crede, Tacendi.
Mille loqui docuêre artes, sed nulla Tacere.

B Cui

Cui fidendum.

Nec omnibus, nec nemini:
 Fide, ſed cui, vide.

Ad HERODIADIS *filiam aquis merſam.*

Mergere ſaltatrix, mollis fuerat tibi vita,
 Vndarum tibi mors debita mollis erat.

Senex & Puer.

Ne puerum mirare, ſenem ne ſperne; tametſi
 Sæpè vir in puero eſt, in ſene ſæpè puer.

Ad Lectorem, de Diſtichis.

Vt video, tranſis hæc pumila carmina Lector,
 Nec faciunt ſtomacho diſticha noſtra tuo?
Num quia noſtra? ſapis: num quòd ſint diſticha? peccas.
 Si bona, longa ſatis; ſi mala, longa nimis.

Ad PONTICVM *Belgam, varia hinc illinc damna paſſum.*

Vſſerunt bis ſeni olim tua tecta Bataui,
Pontice, quos captos Tityi eſt depaſta volucris,
Et latroniuori laniarunt in cruce corui:
Nunc tauris infeſta tuis manus vnca, rapaxque
Brandenburgiadûm eſt; quin & tua ſpicea regna
Lunatam nuper fruſtra expectantia falcem
Fregit eques rabidus; dura, mi Pontice, dura
His paſſus grauiora;dabit Deus his quoq; Funem.

Ira & Amor.

Plumbea nunc multis Ira eſt, & durat in annos,
 Plumeus in menſem vix benè durat Amor;
Mortales ſtolidi, ſtolidas conuertite flammas,
 Ira vt plumea ſit, plumbeus vt ſit Amor.

Virtus & Vitium.

Vnum ſi Empyreâ crimen ponatur in aulâ,
 Lux fugiet, medio Styx erit atra polo.
Vna Acheronteis Virtus ponatur in antris,
 Nox fugiet, mediaque in Styge Olympus erit.
Ergo Virtutem toto plus dilige Cælo,
 Et Vitium toto plus Acheronte time.

Trochæi puri de Muſicâ.

Te tacebo? non tacebo, clara, dîa Muſica,
Porge mi Thalia plectra, pectinemque eburneum,
Orpheive,

Orpheive, Arionísve, Mercurive barbiton :
Metra da pedesque Phœbe, da pedes Trochaicos,
Da volubiles, citásque, lubricásque syllabas :
His, Pater, mihi canenda, prædicanda Musica est.
Eia, quid morare Phœbe? da pedes Trochaicos.
Abnuit fauere Phœbus, & negat Trochaicos,
Quin & hos negat placere ter tribus Sororibus,
Nec Trochæa clauda metra credit apta Musicæ.
Maure, sime, lusce Phœbe, barde Phœbe falleris:
Phœbus ipse, Cantus ipse, & ipsa Diua Musica,
Thespiæque, Pierusque, Pindus, Ascra, Corycus,
Carmen, Oda, Musa, plectra, penna, chorda, barbitos,
Duco, tendo, ludo, pulso, clango, pango, cantito,
Nónne cuncta, stulte Phœbe, nónne sunt Trochaica?

Ad Momum.

O odium mortalium! es vnguis qui vlcere in omni;
Blatta bonorum trux carminum es, & tinea.
Tyresias, te vt ne cernam; te vt ne audiam, Isauris
Rupibus esse velim surdior, & scopulis.
Te Superûm aula odit, te tellus; vnaq; amat Styx,
Vnius ô Regis nigri & Erinnyum amor!
Dura, hem, carmina, ais: non sat sunt dura, quia opto
Saxa loqui & silices, cùm tibi, Mome, loquor.

Ad MATONEM *Zelandum Poëtastrum.*

Dici tu Papa vis, ego malim dicere Papa:
Dicam ego cur tendam, dic Mato, cur breuies.
Credo breues paucosq; Papæ te velle Decembres,
Atque omnem pridem velle fuisse Papam.
Ast ego longæuos Papæ rogo Nestoris annos,
Et sancti Imperij tempora longa precor.
O ita sit Superi! sit saxum immobile Papa,
Quod mundi summum non labet ante diem.
Vade Mato, plus nil mihi tecum est, nec tibi mecum;
Iam scis cur tendam; iam scio cur breuies.

Vitrum & Vinum.

Vitrum proditor, atque vinum est;
Hoc animi speculum, illud oris.
Quod formæ solet esse vitrum,
Hoc animo solet esse vinum.

Ad CHRISTVM IESVM *Poëta in morbo.*

Vulnere te IESV quino laniauit Apella,
Verùm heu! sunt animæ vulnera mille meæ.
Ah fallor! nam cuncta vnum sunt vulnera vulnus;
Et quàm densa seges, tam mihi densa lues
Innumeris operata malis, oneratáque plagis
Iam mea porrexit vita salusque pedes.
Sentio; iam summum responsat vena laborem,
Iam sita gens, iam me Persephonea vocat.
Vsque tamen spero dum spiro; spes mea CHRISTVS:
Quis non à tanto speret opem Medico?
Ora tamen minio multo, flammaque notantur,
Et grauis accensas stat pudor ante genas.
Sed nunc sanus ero: tantùm ô mutemus IESV
Vulnera; mî tua da, do tibi CHRISTE mea.

Anagrammata, ROMA, AMOR, MARO.

Vtcumque Romam verteris,
Reges in illâ inueneris:
Namque ipsa ROMA regibus,
MARO dominatur vatibus;
Rex ille cordis, omnibus,
Rex ille quem vocant AMOR.

Ad Zoilum.

Ecce mei veris sunt primi hi Zoile flores:
Hos igitur Violas dicere iure licet:
Vtque ego non dicam Violas, tu Carmina nostra
Esse facis Violas Zoile, qui violas.
Sic etenim totus pugnat tibi Musicus ordo,
Vt placeant nulli quæ tibi cumque placent:
At si quid liuens arroseris ore canino,
Hoc Vatum concors vtraque palma probat.
Quas violas Musas, Violas nos; quasque videmus
Dente tuo rosas, credimus esse rosas.

BER-

BERNARDI BAVHVSII ANTVERPIANI è Societate IESV EPIGRAMMATVM LIBER II.

Ad Iuuentutem ventri vinóque deditam.

QVI Cererem largè, Baccheaq; pocula sumis,
Heu puer in foribus quam tibi grande malum est!
Ah quàm grande malum! quantũ Medeïdes herbæ
Nec noceant Circes pocula sumpta tibi:
Non dens aspideus, rabidæ neque morsus echidnæ,
Non iaculi celeres, tardipedesque boæ;
Non salamandrinum, crocodilinumque venenum,
Non seps, non natrix, stellio, dipsas, hydrus;
Non pota inferni sanies Lethæa fluenti
Nec Phlegethontéi fellea spuma canis.
Expectas diræ nomen miserabile pestis?
Dicere mens odio, lingua pudore negat.
Nec tu iam dubitas, Cererẽ post, post & Iacchum,
Tertia quæ venis flamma timenda tuis.
Aut cessa, aut veniet iam nunc tibi; quæ quòd ad omnes
Dira * venit, nomen à veniendo tulit.

* *Cicero l. 2. De naturâ deorum, Venus dicta, quòd ad omnes veniat.*

In imaginem pueri IESV *Crucem ferentis.*

Quod scelus, ô oculi, facinus quod cernitis? eheu!
En roseum, ambrosium, lacteolum, aureolum,
Nudulum, &, heu, tenerum puerum trabe colla grauatum,
Lassantemque humeros, plumeolumque latus.

Ah,ah,ah,mi parue Puer,mi magne Creator!
Quò tibi Crux? figi non potes ante virum;
Non potes ante virũ; fine nũc,fine.non finit,vrget
Cum Cruce iter, verbis reddit & ista meis:
Cùm fuero maior, maiorem vt tollere possim,
Hanc paruam à teneris tollere disco Crucem;
Tu quoque mox maior,maiorem vt tollere possis,
A teneris paruam tollere disce Crucem.

Fateri culpam.

Non amo peccantem, sed amo peccasse fatentem,
Vt placet in Mauro corpore dens niueus;
Vt placet in tenebris rutilans coma luminis aurei;
Vt placet in nigro lucida gemma peplo;
Lactis vt in mediâ candet loligine gutta,
Vt nube in piceâ fulgida stella micat.
Deniq; quàm placeant Superis sua crimina fassi,
Manasses,Petrus,Magdalis,atque Latro;
Carcere Manasses, lacrymoso Petrus in antro,
Sub Cruce Magdala flens,in Cruce Latro docet.

Vitæ breuitas.

Stulte quid Euboici speras tibi pulueris annos?
Quid Pylios speras vitrea bulla dies?
Disce mori:dum vina,rosas, vnguentaque poscis,
Et noua fila lyræ, mors tua fila secat.

CATHARINA & THISBE.

Candida castus amor, turpis facit omnia nigra;
Nos cruor hoc Thisbes,Costiadisque docet:
Costias en niueum dat lac pro sanguine; morus
Sanguine Thisbæo, candida, facta nigra est.

Femina.

Regulus vt visu, Siren Acheloïa cantu,
Et necat affrictu Thessala saga leui:
Sic oculis,manibus, sic vrit femina cantu;
Sic trifidum fulmen Vænonis esse queat.

D. IOANNES *Amoris Euangelista.*

Dium Anterotem Christiani pectoris,
Ignemque sanctum Charitatis mutuæ,
Quòd pænè in omni Euangelista Patmius
Sonetque paginâ, sonetque lineâ,
Mirare nemo; namque Zebedæidem
Amans IESVS, omne ei fel abstulit,
Pro folle, mellis dans ei vesiculam.

De

De vita Christiana biuio,
ad Ephebum puerum.

O crispe flauâ blande puer comâ!
O verne flosculc,
Aeui virentis primula purpura,
Decusque lacteum,
Nondum genarum poma rubentia
Cui crine nigricant.
Audi monentem, nec mea, mi puer,
Dictata despue.
Tibi hinc & illinc semita panditur
Virtutis & vitij:
Resiste : vitæ hîc est Biuium tuæ;
Resiste, quò ruis?
Resiste testor; non leuis alea est
Quam legeris viam.
Errare vitæ si in biuio tuæ
Non caueris miser,
Mactabere olim, fata vbi venerint,
Cælesti ab Hercule.

In superbum.

Sis licet Encelado, Tityo, vel Orione maior,
Nec minor Iapeto, centimanoque Gyge;
Sit Titaniaco maius tibi robore robur,
Et serpentigeris par tua dextra viris;
Sis Typhon, Antæus, Atlas, sis ænea turris,
Si tamen ipse tibi nitere, pappus eris.

Quis verè Catholicus, ad Batauos hæreticos.

Catholicum tumido iactat se Batrauus ore;
Nauiget ad nigri regna Melampodij,
Anticyrasque bibat totas, purgetur vt illo
Barbara qui stolidus pectora fastus habet.
Vos Batauì, vos Catholici? quibus impia Roma est,
Et meretrix Babylon, & Sodomæa domus?
Tum vos Catholici, cùm nox lux, candida nigra,
Cæli dicentur Tartara, Disque Deus,
Non, non : Catholicus, Batauì mihi credite, nemo est,
Quàm * PAVLVM nostrum qui putat esse PETRVM. * *Pontificem Paulum V.*

De castâ Poësi.

Nil nisi virgineum, Lector, mea Musa propinat :
Nam Cyprij lasciua tela cæculi

Non hîc vlla sonant; non hîc quæ frænat olores
Pætis ocellis ludit, aut ludit iocis.
Ludimus; ingenui verùm intra claustra pudoris:
Excedere hæc, non ludere est, sed lædere.

Ad B. FRANCISCVM.

Cùm genus aligerû dicis FRANCISCE sorores,
Fratres, lanigerum, cornigerumque pecus;
Scilicet exiliunt, & blando murmure grates
Reddit ouis, dulci & carmine reddit auis.
Nec dubito, fandi fieret si copia, fratrem
Teque vocaret auis, teque vocaret ouis.

CAELVM NON SOLVM,
Scitum Reuerendissimi CAROLI PHILIPPI RODOANII *Brugensis Episcopi.*

Audite gentes vltimæ,
Vel quæ rigetis Arctico
Aquilonioque sub Ioue;
Vel quæ caletis ignibus
Disci rubentis, & ætheream
Perfulgurantis lampadis:
Nostisne Rodoanium?
Illum cui ore in aureo
Aurea perennè voluitur
Vos ista, CAELVM NON SOLVM.
Hoc manè, serò, domi, foris,
Hoc ambulans, hoc & sedens,
Hoc cœnitans, hoc & studens,
Cùm purpuram sumit dies,
Cùm sera ponit, hoc sonat:
Siue hora currit lucida,
Seu nigra currit, hoc sonat:
Hoc ianuæ, hoc & vitreæ,
Hoc infula, hoc & annuli,
Hoc abacus, hoc & scrinia,
Hoc & sigilla, & icones,
Hoc non superba synthesis,
Hoc symbolum ferunt libri.
Res mira certè, & pluribus
Miranda rugis, pluribus
Canenda per mundum tubis.
Quid ergo? in annos posteros
Iam magne Præsul nomine
Vocaberis mihi nouo,
Non te vocabo Carolum,

Non Brugidarum Præsulem,
Clarúmve Rodoanium,
C AE L V M vocabo, non S O L V M;
Hoc inde erit nomen tibi:
Quotiesque plantis accidam
Hierarchicis patens tuis,
Dicam, nec absque lacrymâ,
Dulcique rorans gaudio,
Salueto C AE L V M non S O L V M.

Pygmæi Epitaphium.

Hæc tibi Pygmæo domus est æterna sepulto,
  Parua quidem, domino sed tamen apta suo.
Vixisti, paruis poteras cùm currere in armis,
  Nunc Palamedæo victus ab vngue iaces.
Fila tuæ fuerant adeò subtilia vitæ,
  Neret ea vt speculis de tribus vna Soror;
Sed tamen & tenuem discerpsit forfice lanam,
  Et quæ vix potuit fila videre scidit.

SCIPIO MAIOR, *de Clypeis.*

Nil mihi vobiscum est, ignauæ hinc cedite lamnæ,
  Ite aliò clypei, vos leuis Afer emat.
Mars ego Romanus; tunsa hac iacet Africa dextrâ;
  Scuta gerat læuâ, dextera læua cui est.

Vox trium linguarum.
Scrupus.

Sesquipedalis sum, Tiberina, Hebræa, Pelasga,
  Et voce in mediâ pars mihi pulcra rosæ est.
Tres habeo dẽtes, Graiũ vnum, vnúmq; Latinum,
  Tertius Hebræi de canis ore venit.
Si me non dicis, dicis; si dixeris, erras:
  Cuncta Deus faciat quæ queat, ista nequit.

De Thaliâ suâ.

Versibus in nostris nulla est ampulla, tuménsque
  Pulmo, non stomachus, non calidum igne iecur;
Nons dens, non vnguis, non sæua Atreâque bilis,
  Hipponactéi sannaque nulla salis:
Non hîc nascentis color est, vuæque puellæ
  Semirubens pallor, semiciniſque rubor;
Improbus ille color, turpi quem Zoilus ore,
  Quem gerit ore Bion, quem gerit ore Theon:
Non vllum hîc pinsit crepitante ciconia rostro,
  Non vllo hîc rhoncho naris adunca sonat:

B 5 Deni-

Denique simiolus, sciurus, vulpecula nulla hîc est!
Hæc modò si mala sunt, nostra Thalia bona est.

In DEIPARAE & D. BERNARDI *effigiem, cui vulgò ascriptum, Monstra te esse Matrem.*

Quid esse posit hac tabellâ dulcius?
MARIA dulcis, dulcis hîc BERNARDVS est;
Est mellis huic, est lactis illi copia;
Lactiflua mater, filius mellifluus;
Quid esse posit hac tabellâ dulcius?

Bos Bethlemiticus, ad Cælites.

Vah! quid Agenoreæ Bos possidet astra puellæ?
Pellite Cælicolæ sidus; adulter erat.
Purus ego, cum CHRISTO olim, cū VIRGINE Matre
Bethlemio in stabulo viuere dignus eram.
Tunc ego, tunc calidas afflabam leniter auras
Ad pueri cunas cùm fera staret hyems.
Ibant ad Pharios; ibam ad Pharios comes agros,
Sarcinulis sanctis & pia terga dabam.
Mox fio & pretium; CHRISTI, MARIAEque, suaque
Pro vitâ IOSEPH vendidit ære meam.
His meritis, Superi, cælum peto; cedat adulter,
Et Bos sim cælo, qui fueram stabulo.

Asinus stabuli Bethlemitici.

Cornipedes fuluum fræni qui manditis aurum
Cedite, non vllus se mihi iactet equus.
Numen ego his oculis vidi; lunauimus istos
Ante Deum poplites. quis mihi certet equus?
Frigus erat, nostræ fecerunt gutturis auræ,
Mitiùs vt ferret flabra Borea Puer.
Cùm gemeret, tristi certè simul ore gemebam;
Et mihi guttabant lumina flente Deo.
Quin & hero Iacobigenæ non Arcade gressu,
Quidquid opus, Cererem, flumina, ligna tuli.
Ligna tuli? nihil hoc; cæli terræque Monarcham
In Pharios diū cum Genitrice tuli.
Iam scio me laudas, & Equi me nomine donas:
Nolo; plus Asinum est esse Tonantis Heri.
Me laudare voles? Asinus vocer aureus, ille vt
Impurus nosci desinat atque legi.

In

In LARVM FRISIVM, *Iudicem bonum, virum malum.*

Prudens & catus es Lare,
Iudex iustus, & integer,
Et plebi clypeus tuæ:
Idem potor & helluo es.
O quem te Lare dixerim!
Magnum. Porcius es Cato.

M. TVLLII CICERONIS *tumulus.*

Hic Tullî cinis est; cui si sua lingua daretur,
Diceret hæc Romæ paucula verba suæ:
O vrbs sæua lupæ! quondam te sanguine Fratris,
Sanguine nunc maculas te scelerata Patris?
Sicne paludati Ciceronis? sicne togati?
Consulis, atque Ducis siccine colla metis?
Innocui? fidi? facundi? denique Tullî?
Præ propriā cui res publica semper erat.
Sed nostro certè queror hæc de sanguine frustrà,
Sanguine cùm memini te maduisse Remi.
Nempe & nutricē,& sequeris fera Roma parentē:
Sanguinea hæc, atque hic; Romulus,atq; Lupa.

Quatuor Elementa quid in homine efficiant.

Terra, Vnda, Aura, Ignis, sunt corpore quattuor hostes,
Hinc nobis Fastus, Duritia, Ira, Venus.
Vnda parit Venerem, ventosā Fastus ab Aurâ est;
Duritia è Terrâ est, Ignibus Ira venit.

Rarus Amicus.

Nondū alter Pylades, nondū alter natus Orestes,
Rara est in terris fidus amicus auis.
Cuilibet ergo caue, nudes ne pectus amico;
Hic Damon poterit crastinus esse Theon.
Tam citò nunc certè mutatur amicus in hostem,
Quàm citò mutatur nomē *a* ΕΡΩΣ in *b* ΕΡΙΣ.
a *Amor* b *Lis.*

Lex & Lis.

Filia lex litis; bona filia, pessima mater:
Filia lis legis; mater bona, pessima nata.

Ad IO. BRANTIVM *Philologum, de Musis suis.*

Omnia si laudas mea, Branti,cæcus amore es:
Omnia si culpas, cæcus es inuidiā.

De

De temporum nostrorum vitiis, ad
ODONEM ROSIANVM.

De tribus superesse nil metallis,
Nil fului, niueique, Cypriique,
Tota at ferrea sæcula esse nostra,
Sæpe, Odo, gemis ingemisque frustrà:
Gemis quòd tuba, Martiumque cornu,
Vicos & trepidas volet per vrbes,
Horrida, horrida, bella, bella, cantans;
Gemis tela perambulare syluas,
Passim & iurgia, feruidasque rixas,
Sæuæ & prælia non deesse linguæ;
Luporumque, canumque, vulpiumque
Nostris moribus immigrasse mores.
Sunt hæc, ô Odo, veriora veris,
Sunt, sunt, & dolet, & pudet, pigetque;
Sed horum, ô bone, caussa quæ malorum est?
Patent vulnera, nec patet medela:
Imò iam patet; vnica hæc medela est:
Fient aurea sæcula, aufer aurum;
Nam sunt ferrea sæcla, propter aurum.

De B. IGNATIO LOIOLA
Societatis IESV *Fundatore.*

LOIOLAM vt toto vidit splēdescere mundo
Phœbus, & Heliacas spargere ab ore faces;
En mundi noua lampas, ait; discedere certum est,
Terra etenim Soles non capit vna duos.
Audiit, & rutilum quatiens caput æthere in alto
Rex Superùm, astrifero reddidit ista polo:
Quò fugis alme Phanes? pullos cur sumis amictus?
Ora quid obnubis flammea? prome caput.
Sol eris, at non solus eris: LOIOLA iuuabit;
Tu terris, hominum Sol erit ille animis.

Mnemosyne mater Musarum.

Cur te, Mnemosyne, pingit ter littera terna?
Ter terna est, inquit, filia docta mihi.

AMOS PETRISONIVS *Batauus,*
non Batauus.

Battauus est, nec crassæ auris, nec mentis opacæ,
Sed subtilis Amos, & habens in pectore lyncem;
Hunc Bataui laudant, sed non ego: Degenerauit.

Mollis,

Mollis, Dura, Femina.

Vt Trigamus cecinit ter quino in carmine Vates,
Facta cinis Semele est, facta lapis Niobe.
Facta cinis Semele est: quis credat? non ego, Naso.
Femina durior est, fiat vt vlla ciuis.
Facta lapis Niobe est: quî posſit femina? numquã
Femina mollior est, fiat vt vlla lapis.

Ad MARIANVM, *de* CAMILLO *auaro.*

Quòd bene ſeruet opes, laudas, Mariane, Camillũ,
Scrinia laudari ſic, Mariane, ſolent.

In Afrum pauperem & arrogantem.

Vnius dominus cùm vix ſit ceſpitis Afer,
Prædiolum ſtultus vendidit; emit equum:
Tantum gaudet equo: cur tantum gaudeat, audi;
Ciuibus vt poſsit celſior ire ſuis.
Sed lepidam Nemeſin! cùm ſit longiſsimus Afer,
Et ſit nanus equus, Afer eques pedes eſt.

Virtus & Ventus.

Maſcula quòd Virtus muliebri pingitur ore,
Quodque leues Venti maſculea ora gerant;
Non ideò tumidis iactet ſe femina verbis,
Nec generoſa viris purpuret ora pudor.
Dicta per Antiphraſin ſunt olim plurima priſcis,
Nos hæc credamus picta per Antiphraſin.

In Tumulum M. ANTONII MVRETI.

Hoſpes ſta, taciturſq; aurem arrige; namq; Mureti
Fama hîc eſt cinerem poſt ſua fata loqui.
Credere nec pigeat; nam tanti Rhetoris, & tam
Docti oris, mutus quî queat eſſe cinis?

Grandæuo, Optimoq; Parenti ſuo GHISBERTO BAVHVSIO, *Strena.*

Ite procul curæ, diſcedite pectoris vmbræ,
I mea nox, & lux lætitiæ alma veni.
Dic Bernarde io, bis io, ter io, quater io!
Numina nam precibus ſunt pia mota tuis.
Oraſti ſeros genitori Neſtoris annos,
En Superi ſeros exhibuêre dies.
Nonne vides? certè; iam quadrageſimus illi
Bis rediit Cancer; bis rediitque Caper;

Nec

Nec frons est caperata tamẽ, nõ mẽs labat, aut pes,
Non illum vires deseruêre viri:
Cygnorum niueæ sunt illi ad tempora plumæ,
Sed manet in mediis os roseum niuibus:
Verque hyeme in mediâ est, & Maius mense Decembri;
Estque tripes ætas, sed tamen ipse bipes.
Verne Senex, tibi fulminiger de nubibus Ales,
Remigio Phœnix plaudit & ipse suo.
Ergo ego sic Superos non ficto comprecor ore,
Vt vel cuncta meæ dent tibi fila colus.
Viue, vale; tum qui nunc annus proximus instat,
Sit tibi * Aristarchus, sit tibi * Aristoteles.

* *Boni principij.* * *Boni finis.*

In effigiem PETRARCHAE *duplici lauro cincti.*

Præcincte ianitrice Cæsarum lauro
Petrarcha magne, fronde Thessalæ Daphnes
Phœbique amantis; cincte duplici serto,
Latio, Italoque; illa, illa quam geris laurus,
Vates suëta ceteros coronare,
Non te coronat, ipsa te coronatur.

In sculptorem benè sculpentem, malè viuentem.

Cùm tibi tam similes fingas de marmore vultus,
Et facis humano spiret vt ore lapis;
Ecquid ab humanâ tantùm ratione recedis,
Admonitus, surdus vt videare lapis?
Metamorphosis! tibi saxa simillima fiunt,
Tu saxis similem te facis esse tuis.

In P. ANTONIVM CRIMINALEM *Parmensem protomartyrem Soc.* IESV.

O Martyrum, Antoni, alpha purpuratorum,
Qui colla primus lacteamque ceruicem
Ferro dedisti demetenda fatali.
Qua te lyráve, barbitóve, plectróve,
Cornu, tubáve, concinam, triumphali
Nam vel silentio premendus ingrato es,
Vel hisce cunctis, pluribusque cantandus,
O plurimarum Antoni athleta palmarum!

Ad eumdem.

Dulcem pro Christo patriam fugis, Italaq; arua;
India sed dulcis patria facta tibi est.

Nam

Nam moriens, felix cælo qui nascitur, huic non
Patria vbi exoritur, est sed vbi moritur.

Vita breuitas.

Homo misselle diuites
Quid spes in altum fabricas,
Quando vel hæc inania
Cum morte verba diuidis?

DOMITIANVS *Imp. inter distentos pueri procul positi digitos sagittas dirigere norat.*

Laudem? non faciam. Nam si tua spicula in hostem
Sic mittis, sanè es, Domitiane, rudis.

PANIGAROLAE *Epitaphium.*

Hospes sta, tacitusque aurem arrige; Panigarolæ
Nam fama est cinerem hîc, post sua fata, loqui.
Credere nec pigeat: nam tanti Rhetoris, & tam
Docti oris, mutus quî queat esse cinis?

De amore diuino.

O cui cor Christus terebrauit arundine amoris,
Hoc qui vulnus habet, quàm leue vulnus habet!
Hoc qui vulnus habet, non immedicabile, & atrox
Abdita quod populet viscera, vulnus habet;
Non tabem metuat, non hinc sibi credat ituros
Horrida præcipites mortis ad antra dies.
Nam cui sunt diā præcordia fossa sagittā,
Huic via facta boni est maxima, nulla mali.
Hoc qui vulnus habet, vitæ dispendia sentit
Nulla, sed è dio vulnere robur habet.
Hoc qui vulnus habet, mens huic sine nube perennis
Semper ei è nitidâ fronte serena dies.
Hoc qui vulnus habet, Superi! quæ gaudia carpit?
Gaudia quæque aloës nil, neque fellis habent.
Hoc qui vulnus habet, Christi vt mādata facessat,
Vertere Threicias nititur antè animas.
Præcipitat, ruit, exilit, & volat; ô bone Iesu,
Hoc qui vulnus habet, quàm leue vulnus habet!

FRANCISCI FLORI *Pictoris Fortuna.*

Apellis ille, & æmulator Zeuxidis
Florus, superbæ nomen ingens Belgicæ,
Volubilem cùm pingeret Fortis rotam,
Pinxit videntem, sed chiragricam Deam:
Videt sat, inquit, sed satis dat nemini.

In

In luctuosum IVSTI LIPSI *obitum.*

Sunt busto in Pario, sunt qui tumulantur eburno,
Sunt qui marmoribus, LIPSIVS in lacrymis.

De GALBVLA *puero Grammatico.*

Galbula Grammaticæ semestris tiro palæstræ
(O multi splenis fabula, vera tamen!)
A socio nuper, dum fit sine sanguine pugna,
Vrgetur, Mortis quod putet esse genus?
Est commune duûm, dixit: quod sic probo, Mortem
Femina, vir, fecit; femina, vir, patitur.

In quemdam qui malis artibus nobilitatem sibi opesq; parauit.

Purpura nunc, olim te rustica gausapa texit,
Factus es hamatis Prætor Equesque dolis.
Nunc tibi quæruntur venturæ insignia Genti,
Stellæ, Aquilæ, Cedri, Lilia, Castra, Rosa;
Quæritur & Genti breue Symbolon: accipe quod vis,
Sed Momorenciacū ne capias.* ΑΠΛΑΝΩΣ.

* *Sine fraude.*

Quid Columba & Serpens, ad MARINVM.

Vt nulli noceas, columba fias;
Vt nemo tibi, sis, Marine, serpens.

Ad dulcissimum Puerum IESVM.

O mundi princeps facies, pulcherrime rerum!
O Puer auratâ cæsariate comâ!
Non amo te, IESV, si possim dicere quantum:
Tantum amo te, tantum, mi PVER, vt taceam.

Ad FABIVM *Neomystam, de Sacerdotum dignitate.*

Mysta Fabi, sacro nuper qui lotus oliuo,
E Cerere æternum nunc facis ire DEVM:
Cerne apicem, culmenque tuum; quam prenderis arcem!
Aspice quantus Athos! te tamen ille timor.
Ex quo sacrificæ potarunt chrismata palmæ,
Et nitet in sancta pulchra corona comâ;

Iam

Iam Regum trabeata premis, baccataque colla,
 Inque tiaratos sunt tibi iura Duces.
Ipse tuis Cæsar genibus minor; ipse Philippus,
 Felix auriferi cui natat vnda Tagi,
Gēmiferas cui purgat aquas niger Indus, & omnes
 Diuitis Auroræ cui properantur opes.
Sic placitum Superis, socco seruire cothurnos;
 Parque Sacerdoti nil, prius esse nihil.
Despice, sub pedibus totus tibi sternitur Orbis;
 Suspice, quod videas nil nisi Numen habes.

Sere, Metes.

Quæ serimus, metimus: vetus hæc & publica vox
 Si sero lina, meto; far sero, farra meto. (est:
Spicea dona sero, Cereris meto spicea dona;
 Hanc seruat constans annua terra fidem.
Non hæc Christigenis lex est: contraria namque
 Quàm serimus, metimus; Psalmicen ista canit.
Gaudia qui serit hîc, pœnas metet in Styge: pœnas
 Qui serit hîc, cælo gaudia magna metet.

Quæ viri fortis patria.

Omne solum forti patria est: fortem excipe nautā;
 Pontiuagis nautis omne salum patria est.

In MACRVM *immitis ingenij hominem.*

Nescit flere Macer, tenerā nec fronte pudere,
 Dicere nec blando mitia verba sono:
Durus homo certè, mediâ velut erutus Ossâ,
 Aut Agragantinis sectus ab ilicibus,
Cui duo sunt silices oculi, frons ferrea, pectus
 Lemniâ ab incude est, cor quoq; marmor habet.
Stemma tamen iactat ceu priscū & nobile: nempe
 Pyrrhâ est matre satus, Deucalione patre.

PHILONI CORDIO, *Poëta eximio, amico singulari.*

Quis syluā in syluas? quis in æquor deferat vndas?
 Mel quis Aristæo? poma det Alcinoo?
Afsidet insano qui fecerit; hæc, Philo, caussa est
 Quòd quæ mitto aliis, non ea mitto tibi.
Si mea mel, si poma, & syluæ, & sint tibi lymphæ;
 Tu mare, Aristæus, sylua es, & Alcinous.

S. BARBARA.

Barbara sum, non sum: miti sum pectore Virgo;
 Sed qui me genuit, barbarus ille fuit:

Ille meo tragicum rubefecit sanguine ferrum,
Et Pater, & Lictor, mefluit ense caput.
Sic ferus ille fuit: mihi leni lenius amne
Ingenium, & miti mitius est oleo.
Me quicumque vocat, venio Patrona vocanti,
Et lætam mœsto porrigo Diua manum;
Aegrorum miseris pronas do questibus aures,
Et lacrymas sequitur lacryma pænè mea.
Tum subiti fallax lethi quos opprimit hora,
Sacramentorum munere Diua iuuo:
Gloria nam nostra hæc; præsens ego Barbara credor
In desperatis mortibus auxilium.
Hoc agri, hoc vrbes, ramosa hoc compita clamāt,
Omnibus hoc templis pulpita sancta sonant.
Ergo ego tam mitis, cur dicar Barbara, mitte
Quærere; quòd non sim barbara, facta docent:
Sed Parcæ vt parcunt, vt Luci lumine lucent,
Vt Bellum est bellum, sic ego Barbara sum.

Ad REGVLVM *de Suffeno quodam.*

Regule quid frendes? vili quid ringeris irâ?
Suffenum quemdam, vatis vix nomine dignum,
Nasonem sese populo iactare secundum?
Sit Naso, modò de Ponto quoque, Regule, scribat.

Homo Bulla.

O doctus Puer, in salace conchâ
Lucrinâ, Siculâve, Belgicâve,
Sarranâ, Cypriâve, Persicâve,
Qui primus docuit salire Bullam!
Et tam, mirificumque, dædalumque,
Iussit surgere de luto nitorem!
Huc huc, mi Puer, en tibi quod optas:
En hîc tortilis, en adunca concha,
Ponti in cæruleis gelata campis:
En Memphitica gutta, qualis infrà
Per nigras pigra repit vnda ripas:
En hastilia, tulliosque laues:
Hæc cape arma Puer, citusque doctum
Inspira calamum. capessit arma,
Complexumque corallinis labellis
Inspirat calamum. Morare Bulla?
Moraris pigra? quid morare? clausa est
Omnis carcere turbulenta Fratrum
Turba, & Aeolio furit sub antro;
Pax nunc vel folio est arundinique.

Prodi

Prodi Bullula, bella Bulla prodi.
Prodit, prodit io. Eoa qualis
Quæ noctem sepelit, diemque ducit,
Virgo comta venit; rubens pyropis,
Flauens chrysolithis, virens smaragdis:
Hinc ianthina, lutea, alba, glauca,
Inde coccina, fulua, ruffa, russa.
Sic & Bullula cùm semel corusca
Hausit fulmina flammeæ diei,
Vultus mille rapit, tot ei colores
Depingit radiis volans Apelles.
Hinc pallet violámque, amaracúmque,
Hinc rosam rubet, igneamque caltham,
Hinc flauet, viret hinc, & inde liuet,
Cærula, aurea, lutea, albicánsque,
Fulua, flammea, glauca, ruffa, russa;
Tandem mittitur ire Bulla in auras,
Et toto finitur natare cælo;
Quam circum pueri & canunt puellæ,
Bella Bullula, bella, bella Bulla,
Bella Bullula, bella, bella Bulla.
Mox si cui puero, aut cui puellæ
Accessit satias, nouamque poscit,
Hanc senem vocitans, aniculamque;
Illam, eheu, necis insciam dolique,
Tangit aut pueri, aut malæ puellæ
Flatus vnicus, & labascit vnico.
O Homo, ô homo, Bulla, Bulla, Bulla es!

Ad LINVM, *de nostri temporis Helenis.*

Sæpè me, Line mi, soles rogare,
Cur spreto rosei decore vultus,
Nostræ sic modò palleant puellæ;
Non porphyriacis genis, labrisque,
Vt quondam Antiope, & Lacæna imago;
Totæ at pallidulæ & cadauerosæ,
De ruptis velut exeant sepulchris.
Caussam mens mea repperit latentem,
Caussam repperimus, (sed ô superbam!)
Vt pulchræ, Line, sint vel in sepulchro.

Ad SYLVIAM *quasillariam.*
Diuitem esse, cui satis est.

Viue colo contenta tuâ; bona Syluia viue,
Et te Reginam Cæsaridemque puta.

C 2 Namque

Namque domum, laticem, & Cererem, pallámque, togámque,
Denique quod satis est, dat colus vna tibi.
Plus dare Fortunæ nequeat tibi tota crumena;
Namque Hermi, & Gangis totius, atque Tagi,
Sceptrorúmque, Tiararúmque, Coronarúmque
Finis hic & meta est, totáque summa, SATIS.

In amicos ollares.

Vita Cœnipetas, vagos Gnathones,
Nec blandos licet, a stimes amicos:
Illis dum calet olla, amor calebit;
Frigebunt citò, si culina friget:
Non te, sed tepidum colunt caminum;
Illis, fumus vbi est, ibi est amicus.

De temporibus nostris, ad VICTOREM.

Sæcla ferrea, Victor, esse nostra,
Soles clamque palamque clamitare;
Tecum sentio, sentioque contrà:
Nam sunt saxea, viliora ferro.

Tumulus ALEXANDRI FARNESII, *Belgica Gubernatoris clarissimi.*

Quis cubat hîc? Princeps, factis & homine Magnũ
Pellæum referens: hoc satis, hospes; abi.
Stásne etiã? quam flentem hîc cernis, cetera dicet,
A fletu vt poterit Belgica Nympha loqui.

M. TVLLIO CICERONI *in exilium misso.*

Cùm Latiâ, Tulli, pepulit te liuor ab vrbe,
Romáque Romanam linquere iussit humum;
Ah queîs tunc lacrymis, quibus & singultibus, ora
Mascula turpasti, Patriciásque genas!
Pelleret immeritò quòd Patrem Patria, quodque
Interdicta forent ignis & vnda tibi.
Hæ voces tunc, Marce, tuæ: sed quã modò velles,
Interdicta forent ignis & vnda tibi!

Anima & Caro.

Quæris, cur Animâ Caro fortior? accipe caussam:
Hîc Carnis patria est, hîc Animæ exilium est.

De Stimulo Diuini Amoris D. BONAVENTVRAE, *ad* PAMPHILVM.

Pamphile, Seraphicâ si vis ignescere prunâ,
Huc ades, hunc Stimulum perlege, Amoris opus.

Hic

Hic tibi ſic tenerum fodiet, mi Pamphile, pectus,
Vt mox è tenero purpura corde fluat.
Nec tenerum tantùm, potis eſt & frangere durum,
Imperfoſſa Iſthmos ſi cui pectus erit:
Et tibi ſi ferrum eſt, fiet ſera ferrea, cera;
Et ſi ſint multo corda ligata gelu,
Ilicet ignis eris: frangit Liber iſte, domatque
Quodlibet & marmor, quamlibet & glaciem,
Quoſlibet & ſilices, & ferrum quodlibet, omnem
Duritiem Libycam, frigus Hyperboreum.
O Superi! parui quæ tanta potentia Libri eſt!
Ah, ah, quid patimur, Pamphile, quid patimur?
Sentis quàm ſtimulat? quantis calcaribus vrget
Ad iuga virtutum? quàm fodit atque ferit?
Sentimus certè: at pigri, quò nempe vocantur,
Nec meus hic Aſinus, nec tuus ibit Equus.

De Vitâ, & Roſâ.

Vnam multa Roſam cingit ſpina: Euigenarum
Hæc vita eſt; læta hîc paucula, multa dolent.

Regibus imitandus NERO.

Regibus exemplum damnor ſtatuiſſe Neronem:
Hac ego pro culpâ palleo, nec rubeo;
Nunc etiam voueo hoc, imitari ſceptra Neronem
Omnia; Quinquennis ſed meus ille Nero eſt.

In Rhetoricos libros Cypriani Soares Societatis IESV.

Thrax licet aut Arcas fueris, pinguiſve Batauus,
Iapetionidæ deficientis opus,
Ora cui puero non caſtigauit Apollo,
Nec Latio tribuit digna ſonare foro,
Huc ades, & Soareſiis quæ tradita chartis
Perlege non ſegnis, lectáque mente tene.
Tum calamum vitreis Tulli laue fontibus; ille
Ex Arpinatis purior ibit aquis.
Mox tibi Romuleæ veniet facundia linguæ,
Et fies trepidis gloria magna reis;
Per te cauſſa cadet, fuerat quæ proxima lauro,
Eloquio ſtabit non benè firma tuo:
Per te, non nati, repetent ſua tecta, Tomitæ,
Quique breues Gyaros, lõga ſepulchra, colunt;
Denique de Batauo Fabius, de Thrace Pericles,
Arcade de craſſo Tullius alter, eris.

In STELLAM, *stellati cæli aspectu mirè recreari solitum.*

Cæruleâ in tunicâ quoties nox fulget, & æthram
  Pallida nulla regunt vela volantis aquæ;
Lampadij sed enim campi, qui sidera pascunt,
  Phosphoreas promunt cæliuagasque Pharos;
Tum tum nulla mora est, pictas se, Stella, sub auras,
  Proripit: Hem, statis, cæli oculi atque mei?
State rogo, vos lætitiarum summa mearum,
  O sanctæ, ô sanctæ Cælituum faculæ!
Argus ego, vel milleno sim lumine cinctus,
  Noctem nox oculis non feret vlla meis:
Si modò vos stetis meâ lumina, lumina mî stent;
  Mille oculos cæli, mille videbo oculis.
Sic fando, stat statim, ac vsque sub ætheris aurei
  Fulgentem clypeum, lumina fixa tenet.
Gaude, Stella, astris; sed quæ sic suspicis astra,
  O quando dabitur despicere illa mihi!

Circumcisio & Crux CHRISTI.

Manè nouum, sparsum saturo tristique rubore,
  Tristes portat aquas, ætheriámque hyemem:
Crudelis teneri sic Circumcisio CHRISTI
  Clamat: Huic Puero, flagraque, cruxque manent.

S. BARBARA *de se, & patre* DIOSCORO.

Barbara ego, genitorque Dioscorus: ô malè facta
  Verba: Dioscora ego, barbarus ille fuit.

Quæ CHRISTI *Grammatica, ad* CELSVM.

Grammaticam CHRISTI paucis te, Celse, docebo;
  Totam scies & feceris,
Si Luxum, & Bacchum, si Cyprida declinaris,
  (Mala nomina, ah! mala nomina:)
Si per ego, plorare, pati, vigilare, precari,
  Bona verba coniugaueris.

DIVAE,

DIVAE, OPTIMAE, MAXIMAEQ.

MATRI-VIRGINI

MARIAE,

ADMIRABILEM HVNC,

VNIVS LIBRI VERSVM,

VNIVS VERSVS LIBRVM,

CHRISTIANVM PROTEVM,

tot ora scilicet, quot cælum sidera gerentem (verti enim potest, millies, bis & vicies, sensu saluo & Heroici carminis lege) nostri in cæli Reginam affectus monumentum hoc ponimus sempiternum.

TOT TIBI SVNT DOTES, VIRGO, QVOT SIDERA CAELO.

In eodem hoc Proteo retrogrados versus panè centum est inuenire.

DEO OPTIMO MAXIMO

ÆTERNI DEI FILIO

CHRISTO IESV

MVNDI SERVATORI

PROTEVS

è varijs Sacrarum litterarum locis depromtus, priore longè admirabilior; nam sensu saluo, & Heroici carminis lege, verti potest 3628800. *scilicet, tricies sex es centies millies, vicies octies millies, & octingenties.*

REX [a], DVX [b], SOL [c], LEX [d], LVX [e], FONS [f], SPES [g], PAX [h], MONS [i], PETRA [k], CHRISTVS.

[a] *Apoc.* 19. [b] *Matth.* 2. [c] *Malach.* 4. [d] *Michaa* 4. [e] *Ioan.* 1. *&* 8. [f] *Zach.* 13. [g] 1. *ad Tim.* 1. [h] *ad Ephes.* 2. [i] *Psal.* 67. *Daniel.* 2. [k] 1. *ad Corinth.* 10.

Crux bonorum.

Dulcis vita pijs, & purè est mellea; quando
Nec Crux delicijs caret.
ANDREAE fratrem, PETRI fratrem aspice; rident,
Tollunt in Cruce iubila.
Et Crucifixorum dena aspice millia; rident
Pleni pectora gaudijs.
Cæruleásque genas MACARI, pallentiaque ora
Cerne SERAPHICI PATRIS;
Nubila non cernis, quamuis pallentia cernis;
Intus gaudia, gaudia.
Nempe ex quo CHRISTI Crux olim lectulus, inde
Iam sunt deliciæ Cruces.

Vxoris LOTH *punitio.*

Obscœnam Gomorrhæ hyemem, cùm flammeus imber
Furuaque pix, torto turbine missa polo est.
Mugieruntque auræ, strauitque tricuspidis ignis
Pentapolitanas dira sagitta domos,
Omnia cùm promsêre armamentaria cæli
Spicula, & indomitum perdomuêre nefas.
Iussus, vt hæc fugeret, fugit cum Lothide Lothus:
Neu'redeant oculis, lex datur: illa redit;
Vtque coronatam flammis circumspicit vrbem,
Heu misera! heu oculos sensit habere salem!
Mox & tota salem Lothis bibit; & sapientem
In statuam, insipiens femina versa fuit.

Ad VALENTEM, *de suis hisce Epigrammatibus.*

En promissa, Valens, Epigrammata: nuda sed illo
Quem velles stimulo; non sunt arguta, fatemur:
Tu tamen exspectas: iam sunt Epigrammata, fallunt.

BERNARDI BAVHVSII ANTVERPIANI è Societate IESV

EPIGRAMMATVM LIBER III.

Cor suum, spretis floribus, CHRISTO *Poëta offert.*

PALLENTES violas, immortalesque amaranthos,
Et calthæ aureolas, Phœbisequasque comas,
Reginasque rosas, & florum lilia Reges,
Albaque narcissi, flauaque texta croci,
Iridaque, & nardum, ferrugineumq; hyacinthum,
Et quidquid florum denique Chloris habet,
CHRISTE, tibi pleno meditabar fundere cornu,
Veris opes volucres, deliciasque breues:
Iamque ardens ibam totum tibi spargere Maium
Purpureum, prasinum, coccineum, croceum;
Nam Maij omnigenæ plumæ, omnigeniq; colores,
Et multa in gremio florea messis erat.
Hanc mihi sed subitò vertisti in pectore mentem,
Et visus tacitâ es sic mihi voce loqui:
Mitte rosas manibus vates meus; altera dona
Poscimus; hæc olim Panque Palesque tulit.
Altera dona Deo vero, sunt altera serta;
Non faciunt capiti talia serta meo.
Cor peto. Io dabitur, dabitur cor dulcis IESV!
Mille darem, IESV, si mihi mille forent.
Eia cor, egredere: an clausa est via? pectora rumpe,
Rumpe moras, rumpe & viscera, & egredere.
Egreditur. Salue, ô animæ pars optima nostræ!
Vitæ delicium, principiumque meæ!
Corculum, io, gaude; iam felicissima fies
Victima, Tergemino tota litanda DEO.

Ergo nunc viola i, melior viola hoc mihi cor est:
I amaranthe, mihi hoc cor amaranthus erit.
Puniceæ ite rosæ, melior rosa nam mihi cor est:
Liliolum i, melius liliolum cor erit.
I narcisse, mihi melior narcissus erit cor:
I hyacinthe, mihi hoc cor hyacinthus erit.
I croce, cum nardo, calthæque ac irides ite,
Cor mihi caltha, crocus, nardus, & iris erit.
Corculum, io, IESV, sume hoc, mi dulcis IESV;
Deque haustum latere hoc in latus abde tuum.
Viuo ego, non ego iam, viuit Nasareius in me:
Ille mihi solus corque animamque facit.
Et vos Adamidæ, vos ô mecum pia Christo
Corda date. O, qui dat, quàm sine corde sapit!

In pulcherrimam VIRGINIS-MATRIS, PVERIQ. IESV *ex ære imaginem.*

Empyrei Regina potens, Princepsque palati,
Gloria cæruleæ, stelliferæque domus;
Aspice sidereis de collibus, aspice Virgo
Aera hæc in vultus tam benè ducta tuos.
Nónne stupes, quàm te fabrè muta æra loquātur?
Quàm non mentita est vlla tabella minùs?
Aspice, sic oculos, sic ora, manusque ferebas;
Hæc ibat circum tempora vitta tibi:
Sic rosei fluxêre sinus, sic palla fluebat;
Errabant rutilæ sic sine lege comæ:
Delicijsque tuis, sic, sic MARIA arridebas;
Sic quoque ridebant deliciæ, ille, tuæ.
Vbera sic solita es tua porgere lactea Nato;
Et sic ille tuis ludere in vberibus.
Aspice vt hîc rides, (nam rides;) aspice vt arcta
Oscula das, (nam das;) aspice vt ille rapit:
Scilicet ad vitam propiùs, neque cæla Myronis
Nec Coæ veniant, Phidiacæque manus.
O vera! ô mendax! ô certa! ô falsa tabella!
Fallit nulla magis, nulla tabella minùs.

MAGDALENA, SCAEVOLA.

Mutius errantem dextram ferus ignibus vsit;
Si non errasset, fecerat illa minùs.
MAGDALA peccarat, IESVM pòst fortiùs arsit;
Si non peccasset, fecerat illa minùs.

S. STEPHANVS *Protomartyr.*

Sub lapidum sæuo imbre, sonantibus vndiq; saxis,
Quas, ô, quas Stephanus fundit ab ore preces!

Saxea

Saxea bella inter, quæ pacis verba profatur!
Quamque reas nulli percupit esse manus!
Parce, inquit, IESV, parce hæc ad crimina cæcis;
Non illis sceleri sint mea fata precor.
Hæc santi, mirum quis risus inambulet ori!
Lunati quàm lux blanda supercilij!
Quis toto in STEPHANO necis ardor! gaudia quanta,
Exiliantque oculis, exiliantque genis!
Siccine amat lapides? sic certè? nonne * CORONA
Ornari multo pulchra velit lapide?

* Στέφανος.

SERAPHICO FRANCISCO,
quinque sacris Stigmatibus insigni.

Non nequam, FRANCISCE, bonus Dominoque fidelis
Seruus eras; plagas cur rear esse tibi?
Dignáne fecisti plagis? dignissima certè:
PLAGIS digna istis nam tibi vita fuit.

B. FRANCISCI XAVERII vox.

Eia DEVS, satis est, satis est DEVS: ignibus vror;
Tolle animam, aut si vis viuere, tolle facem.

Nocturnæ potationes.

Rubere dignum est: ipsa nam rubet Fama
Plenum pudendi nuntium ferens probri;
Potare quosdam nocte Principes totâ,
Dormire luce. O Principes tenebrarum!

In Hunnos, VRSVLANARVM *Virginum interemtores.*

Barbariem sæuis tigridum nutricibus Hunni,
Aut Pantherinis suxtis ab vberibus,
Aut Meleagreâ matre, aut Erymanthide mammâ,
Aut si qua in Geticis dirior vlla iugis.
Ah Superi! nam quæ gens hæc tam plena ferarum?
Plena, vrsi, vri, apri, tigridis, atque lupi!
Plenaque pardorum, vastatorúmque leonum!
Plena ignis, ferri, sanguinis, atque necis!
Siccine? Nympharum tot millia, viuaque lilia
Insanâ metitis barbaricáque manu?
Millia tot Nympharum? Hei, hei! crudele fuisset
De prato vel tot lilia demetere.

Quis

Quis amicus?

Ad PHILONEM CORDIVM.

Non nuda vox Amicus est, non cassa nux,
Dilecte Cordi; non, amabilis risus
Blandique nictus; non ocelli ludij,
Et dulce flammans frontis aureæ lumen;
Sint byssina licet verba, Serum vellera,
Pæstique cuncta quæ loquare sint flores,
Sint plena mellis, plena sint amoribus
Luminaque, & ora, & verba: facta si desint,
Iam nuda vox amicus est, & cassa nux:
Cernitur Amicus amore, more, & ore, & re.

Ad eumdem, de Feminâ.

Noxia quæ non est, ô Cordi, femina? lædit
Quæ mala est, quæque bona est; Penelope, ac Helene.
Nec de Cygnigenâ tantùm sunt funera mœchâ,
Sunt & de castâ funera Penelope.

Ilias in nuce.

Ad PAVLVM PALMERINVM.

Iliadem magnam paruâ in nuce Paule videbis,
Hæc duo si patiens carmina nostra legis:
Atridæ gemini, Laërtius, Hector, Achilles,
Aeneas, Priamus, Troia, Lacæna, Paris.
Ilias en, nuce clausa vna est: nisi, Paule, negabis,
Aut hanc Iliadem, aut carmina nostra nuces.

MASSO *Poëta Iber.*

Ad calices nuper, ducendaque pocla vocatus,
Gloria purpurei MASSO Poëta Tagi,
Bacchéos postquam latices, succosque Falernos
Suxerat, & liquido mens fuit icta Deo;
Concussit sacrum pectus, Phœbumque citauit;
Musas, antra, lyras, fontis aquas, & equum,
Omnia sollicitans vno pro carmine; frustrà:
Sicca in tam madido pectore vena fuit.
Sed tandem facilis Naso, sic ora resoluit;
Bibite felices, atque hilares viuite.

De Fortunæ constantiâ.

Credite mortales, non est Rhamnusia, qualem
Sæpè facit Pictor, sæpè Poëta facit,
Mobilis, inconstans, mendax, & perfida; non est:
Lubrica nec tereti stat super orbe leuis;

Ilda

Fida est,& stabilis:probat hoc Sulmonis alumnus;
Semper,ait,constans in leuitate suâ est.

Medicus.

Res misera Medicus est, cui numquam benè est
Nisi malè sit quàm plurimis.

ROMA.

Marte DEVS nullo,nullâ est superabilis arte,
Ille licet Latius , Graia sit ista licet:
Numquid Roma doles,semper quę vincere sueta es,
Nulla quòd inuicto est danda catena DEO,
Sed ne,Roma,dole; non ille inuictus Amori est;
Vertere Roma, Amor es,vincere versa potes.
Tu rerum Domina es; placuit sic Altitonanti,
Vt rerum Dominum vincere versa queas.

Haretici insolescentes puniendi.

Turba Lemanna sacras spernit PETRI impia claues;
O,gladium PETRO da modò ,PAVLE,tuum!

Ad AVLVM *Cœnobiticam vitam nuper amplexum.*

Gratamur,Aule,plaudimus bonum factum:
Fallax,malignum,sæculum reliquisti;
Sacer cucullus induit caput nuper,
Duroque fune molle iam latus cinxti,
Opes,amici,spesque,resque permagna
Tibi est relicta; at plus tibi relinquendum est:
Gerro,Thrasoque,garrulúsque vixisti;
Vano Thrasone, garruloque nunc exi:
Rex Monachus est;Regnum eius,Aule,* Sigêum.

*Σιγεῖον *Troadis,* Σιγᾶν *tacere.*

In pigritiam DOMITII *adolescentuli, literarum humaniorum studiosi.*

Absque labore nihil,Domiti, nihil absque labore
Vox vetus & vera est, Absque labore nihil,
Ipsi cælicolæ vendunt sua cuncta labore,
Nec nisi callosis præmia dant manibus.
Pulchra quidē Virtus,sed Sole & puluere fusca est;
Sudatrix Diua est,otiaque alba fugit.
Otia tu sequeris, Domiti,piger;exue pigrum:
Quid pila, quid somnus , nuxque , trochúsque dabunt?

Tolle

Tolle animum vilem, vili tellure iacentem;
Atque vt magna feras præmia, magna velis.
Quid quereris, non vlla tibi quòd præmia dentur?
Et nulla in totâ sit tua palma scholâ?
Segnis ὄνος donec fueris, ne præmia speres:
Aspira, veniet mox tibi pulcher Honos.

Frons sæpè fallit.

Nulla fides fronti est: vultu hic Plato, mente Chorœbus:
Ille est Thersites corpore, mente Plato.

Pura hîc voluptas nulla est.

Ad GASPAREM PANTAGATHVM.

Iuncta rosis spina est; nec solis, Gaspar, in hortis,
In pictis etiam purpureisque thoris,
In Cleopatræis epulis, mensisque, iocisque,
In lusu, in choreis, iungitur illa rosis.

VIRGO MATER *Puero* IESV *pomum offert.*

Mustea cùm tua sint, Virgo, cùm dulcia poma,
Cur illa dulcis rapere cessat IESVLVS?
An Pomi fatalis, & illætabilis Euæ
Meminit? quod, eheu, prima deperiit Parens.
Scilicet hoc canâ retractat mente Puellus,
Intúsque tacitâ cor perurit lacrymâ.
Hinc tua, Christine, quamuis felicia poma,
Indóque succo, & melle plena Hymettio,
Frigidus aspectat, dextram neque Pusio tendit
(Iocosa contrà quàm solet puertia)
Quin & seuitiâ dulci, rugáque decorâ
Contristat osculum, ac ocellos asperat;
Quod placeat, Virgo, si vis offerre Puello,
Si vis quod illico rapiat, offer Crucem.

De litterâ Θ.

Infelix multis Theta est, mihi littera felix;
Si ΘΑΝΑΤΟΝ scribit, scribit & illa ΘΕΟΝ.

FRANCISCVS BORGIA *è Duce Gandiæ Soc.* IESV *Præpositus Generalis* III.

Gandiacos apices, trabeam, rutilámque tiaram
Pro Christo posui, nec posuisse piget.
Omnia contemsi, quærens cælestia: fallor,
Nil ego contemsi; cuncta caduca Nihil.

HERO-

HERODES *infanticida, in tabulâ furens depictus.*

Cerne, hospes, rabidũ Herodẽ, sed lumine cassum;
Cur? arsisset ab his ipsa tabella oculis.

Poëta ad Musam suam.

Serpere te Momi dicunt, nimiúmque iacere,
Increpat & soccos ille vel ille tuos:
Ne tamen hoc teneras vrat tibi, Musa, medullas;
Serpunt & violæ, & dulcia fraga iacent.

Ad POSTVMVM, *blanda, sed pestilentis lingua hæreticum.*

Dulcia sunt, sed plena dolo tua, Postume, verba;
Vnde piis à te, perfide, multa fuga est.
Nec tamen, heu, nemo est, quẽ blando decipis ore,
Quémque columbinis illaqueas oculis.
Nam dum blandiris, sic vulpinaris, vt atrum
Fel sub melle bibant, qui tua verba bibunt.
O latronẽ animum! quò perdas, Postume, plures,
Aurea furca tua est, byssinus est laqueus.

In Fortunam.

Siccine in humanis ludis, Sors perfida, rebus;
Et sanctâ bellum cum ratione geris?
Diues, prolis eget, Proculus Dux; pignora Lauso
Ter tria sunt; prolis non eget, æris eget.
Vertere cæca Tyche, da cui rapis, & rape cui das;
Lauso aliquid Proculi, Lausi aliquid Proculo.

Ad MORANTIVM *omnibus omnia annuentem.*

Rem mihi te gratam credis præstare, Moranti,
Quòd nutus sequeris, verbáque nostra, tuis.
Fallere; res nimiũm putet, nimiúmq; molesta est,
Omnia conueniant quòd tua dicta meis.
Eia, aliquando nega, dic contrà aliquãdo Moranti,
Ne quis, cùm loquimur, nos neget esse duos.

AGRIPPINA, NERO.

Pocula sæpè sui bibit Agrippina Neronis,
Tutò nec ipsis ebibenda viperis:
Sed docto liquidam vicit medicamine pestem,
Succóque pota læsa non est Colchico.
At scelus, vt pestem toties sine peste bibisse
Videt Parentem; vina commutans aquis,

Perdere

Perdere ſperat aquis, nequit quam perdere vino:
Ad vitreas venire Baias imperat
Fallaci tædâ, mentituraque carinâ;
Sed naufragam ſorbere Pontus noluit,
Innantemque rati ſecuræ tradidit Actæ.
Quid tum tyrannus? rugiit leo Nero,
I citò lictor, & hoc ferro mihi percute matrem.
O flenda mors Simonidæis lacrymis!
Flere tamen nequeo : cur tam mihi cornea fibra,
Quæris? recordor illius, Modò imperet.

Ad S. MAGDALENAM.

Angelicis quando veheris pia Magdala pennis,
Et cæli toties iſque rediſque vias;
Magdala, felicem quis te neget ? at mage felix
Magdala, quando iſti non reditura, ſemel.

De eadem.

Quaque die, terrâ ex humili ſublimis in altos
Vecta ter & quater es Magdala dia polos:
Viua iter ætherium toties quæ carpſerat antè,
Quàm benè defuncta hæc norat ad Aſtra viam!

Inferi.

Multi de Inferno, Stygiaque palude iocantur;
Sed vereor, fiat ne iocus iſte, focus.

Votum pro N. Iuriſconſulto.

O qui iura mari & magnum das iura per orbem,
Daſque poli facibus daſque Acheruntis aquis!
Das muto pecori, miſeriſque nepotibus Euæ,
Et latratori per tria colla cani.
O Deus! Aſtræam niſi noſtra in pectora mittis,
Quæ monſtret radio faſque nefaſque ſuo;
Erramus, piceâ velut in caligine noctis,
Nec premimus mediam qua decet ire viam:
Hâc tibi, vir Magne, ex imis precor vſq; medullis,
Quæ te vna, vt deſint cuncta, beare poteſt;
Diuitiæ, tituli, ventoſa ſcientia, fama,
Faſces, & trabeæ, & cetera cuncta, nuces.

N. Iuris lauream adepto.

Aequoreis quiſquis diu tempeſtatibus actus
Marmoris vndoſi triſte cucurrit iter;
Cùm iam portum oculis tenet, & terram anchora mordet,
O! quoties & io cantat, & audit io!

Tum rauco ære tubæ festùm dat nauita signum,
Conchâque si qua sit Martia, nulla tacet.
O vastum mare, Ius! qui per tua cærula currunt,
Coguntur oculis quanta pericla pati!
Sirenum hic scopuli, truculentáque saxa Maleæ,
Scyllæique canes, & maris omne pecus.
Quantum ô vidisse hæc, & non perijsse, saluti est!
Nil mihi gratari, nî licet ista, libet.

In stupidum.

Doctus eris numquam, poteris sed doctus haberi:
Vis dicam fiet quâ ratione? tace.

In libros R. P. RIBADENEIRAE *contra* MACHIAVELLVM.

Tartareis dum fortè natans caput exserit vndis,
Potator Stygiæ Machiauellus aquæ,
Te Petre audiuit docto multa ore sonantem,
Dictantemque vnum qui regit astra Deum:
Credidit, at mœsto tollens suspiria corde,
Nec profecturis ora rigans lacrymis;
Me miserum! dixit, doctissime Ribadeneira,
Quòd mea non tulerint tempora te, aut tua me.

Mortis Genus, & Iconismus.

Feminei generis cùm sit Mors; illa virili
Ore tamen pingi, Zeuxidis arte, solet.
Femina debuerat pingi: cur femina non sit,
Hæc est ingenio caussa reperta meo:
Mors nigra, mors turpis, mors lurida; femina nulla est
Quæ nigra, quæ turpis, luridaque esse velit.

In MAEVIVM *inuidum.*

Non vlli vitio locus in te, pallide Mæui, est;
Nam quantus, quantus, quantus es, Inuidia es.

In APRVM *Cretensem, eumdémque mendacissimum.*

Vnguibus à teneris, primaque à veste genarum
Mentiri didicit, Cretibus ortus, Aper.
Succreuêre doli barbâ crescente; bisulca
Quæ fuerat puero, lingua trisulca viro est.
Engonasi credas illum sub sidere natum,
Tam rara infido promitur ore fides.

Sed tamen hoc mirum est; cùm non vult fallere, fallit;
Non fallit, cunctos fallere quando volet:
Nam cùm mentitur, loquiturque Sinonia verba,
Mille vocans testes in sua dicta Ioues,
Non fallit; nil veri isto speramus ab ore;
Fallit, cùm veri vel duo verba refert.

ROSSO *diuiti auaro Strena.*

Ductrices anni Iani micuêre Calendæ,
Non insperatæ quæ tibi, Rosse, micant:
Tempus adest, tibi quo miseri tondemur amici,
Et poscis notas annua dona manus,
Cùm sit Partha domus, Tyrioque superbiat ostro,
Clausaque Mygdonias arca flagellet opes.
I puer, ad vatem. Lunâ currente bicorni?
Curre, suis currat luna bicornis equis.
Impulit ille forem. Nam quis tā manè? Ego Rosso
A pedibus, vestros munera posco lares.
Nonne tibi? Domino dixit. Tam manè fatigat?
An nunc est Codrus, qui modò Crœsus erat?
Non reor; at nimiùm pulchro iecur vrit in auro,
Et fuluo miserum pectus amore terit.
Dic sodes, Rosso quæ mensa? Neronia. Quæ nox?
In plumâ ponit versicolore caput.
Fors desunt gēmæ? Gemmâ bibit: Aurea læna est?
Aurea, bisque Tyro lota, bis amne Tago.
Nilne igitur desit Domino? Nil Hercule. Rosse,
Quid mittam? desit Nil tibi, mitto nihil.

Ad LYCEN *virginem admodum credulam.*

Papa obijt, viuit: viuit Rex Sarmata, vixit:
Luna fugit Persam; fabula, Persa fugit.
Non tetigit, tetigit portum Persiana carina;
Auro mersa suo est; fabula, salua natat.
Vicit Iber Batauum, vicit Batauus Iberum:
Pax Aquilæ est; non est, Turcica signa canunt:
Mille Logos alios, quos spargit Fama per vrbes,
Et tacitos populo non finit ire dies,
Cuncta Lyce credis; variat tibi pectus in horas,
Alternantque animo spesque metusque tuo.
Prospera Fama venit? mox purior æthere frons est;
Mœsta venit? frons est non sine nube tibi.
Quid dicam, virgo? cùm te sic auribus omnes
Circumagant homines, Amphora pulchra Lyce es.

Asellus

Asellus Christifer. Lucæ xix. cap.

Auritâ & turpi, fateor, sum matre creatus,
Et stirps Arcadici non generosa viri:
Sed Dominum tulimus, Solymam cùm scanderet; vnde
Noscimur, & famâ vincit asellus equos.
Famâ cedit equus Phrygius mihi, Bucephalusque,
Cumque Eoo, Aethon, cũ Pyroënte, Phlegon.

Thus.

Sæpè rotaturum de nigro fulmina cælo
Placo Deum, orbicremam sustineoque manum.
Qui possim id, quæris? dicam sunt fumea thura;
Fumo terrigenûm crimina celo meo.

MAGDALENA *sub Cruce.*

MAGDALA sub Cruce flens, dic Pictor, cur tegit ora?
Dum tegitur, melius pingitur iste dolor.

Ad LAVRVM: *Quid animo quietem, quid amicos pariat.*

Vnde pax mihi tanta, Laure, quæris?
Vnde hoc in pelago tumultuoso,
Tam molli, placido, fauente, læto,
Decurrat mea nauicella cursu,
Nullo turbine, fluctibusque nullis,
Vnde pax mihi tanta, Laure, quæris?
Disce, quod didici, lubens docebo.
Ex quo multa fero, querorque pauca;
Ex quo pauca loquor, premoque multa;
Quæque nigra videntur, alba credo;
Quæque nigra feruntur, alba dico;
Nec hostes numerare, Laure, possum;
Nec charos numerare, Laure, possum.

Qualis ducenda uxor, ad eumdem.

Aiunt marita te subire vincula,
Dilecte Laure; vertat, ô vertat benè!
Benè cadat alea! sit tibi carcer leuis!
Sed obsequentem, nec grauis supercilî,
Et virginem, suaque gaudentem colo,
Suoque tantùm, Laure, notam limini
Memento capere; compedum leuissimam.
At nolo doctam, nolo doctam feminam;

Turbas datura est docta, se virum geret:
Cælo vnica est, & vnica hæc * hastam gerit.
* *Pallas.*

In Philosophastrum.

Per ignota mihi probare nota,
Per incerta soles probare certa;
Benè est, ô Sophe : prodeamus orô
Cùm dies calet, & serena cæli
Flammans mœnia Cynthius pererrat;
O stendam tibi Cynthium lucernā.

In eumdem.

Certa probas dubijs, fuscis clarissima, nota
Ignotis, dici vis tamen vsque Sophus:
Morio ego dicar, pueris sim fabula; Solem
Si monstret medio nostra lucerna die.

In PVBLII VIRGILII *Georgica.*

Dum canis Agricolism, Publi, squallentia regna,
Sarculaque, & falces, vncaque rastra sonas,
Aureus in ferro es, nec ponis rure cothurnum,
Semper Patricia est, pictaque lingua tibi ;
O dîum os Publî! sed dic mihi, maxime vatum,
Si sic arua canis, qualiter arma canes ?

D. RICHARDO BVRGO *Hiberno, genere, bello, doctrinâ claro.*

Et bello, & studijs clares, Richarde; tuisque
In manibus mutant hasta liberque vices.
Bellacem, & doctum, quòd non te Pallade natum
Credimus, hæc caussa est vnica, Virgo Dea est.

CALVINVS,
Anagramma,
LVCIANVS.

Quòd nomen vnum possident
Caluinus impijssimus,
Et Lucianus impius,
Germanitate criminum
Id esse factum credite.
Et hic, & ille apostata,
Christique desertor gregis;
Vterque risor Numinis ;
Vncis vterque naribus,

Stylo.

Styloque lusit improbo;
Vterque nigris moribus,
Vitâ sues, linguâ canes.
Et Lucianum denique
Canes vorarunt efferi:
Caluinus at (Satanico,
O digna mors Apostolo!)
Voratur à fœdissimis
Pedi- (quid impedis pudor?
Sine, vindicem Deum loquar)
Voratur à pediculis.

Hæretici vt parentes colant.

Scis vt hæretici colant parentes?
Scindunt vomere sancta templa, sulcant
Cœmeteria: sic colunt parentes.

CAROLO V. *Imperatori, à* PAVLO III. *Maximo dicto.*

Austriade Princeps, numeros qui Principis omnes
Implesti factis, CAROLE diue, tuis:
Qui manibus miles, pedibus Dux, pectore Consul,
Et tantùm exemplis Induperator eras:
Pacificus Salomon, cùm buccina rauca taceret;
Cùm fremeret, victor, bellipotensque Dauid.
Sunt Libycæ Lunæ, sunt Gallica Lilia testes,
Armaque Saxonij sub pede plausa Ducis;
Tum stolidæ sectæ nigri tonsique Mariti,
Armauêre tuas, Dux Alemanne, manus;
Et verum Alciden Alemannica repperit hydra,
Vsta tuo ferro, CAROLE, secta tuo.
Audijt hæc PAVLVS, macte inquit CAROLE, macte,
Esse nequis Magnus, Maximus, inquit, eris.

Ad B. STANESLAVM COSCAM, *Societatis* IESV.

Angele mi, Angele mi, dulcissime mi Angele salue:
Nam te cur aliter STANESILAE vocem?
Nempe tibi pectus torrebat Seraphicarum
Flumen flammarum, Cherubicusque calor:
Et quanti, & quales fuerint tibi pectoris ignes,
Infusæ toties testificantur aquæ.
Nam quoties, ad cæli arcum tua brachia tendens,
Poscebas lacrymis suppliciisque Deum,

Protinus ora rubere, & lumina ſcintillare,
Corda micare, pio rore madere genæ:
O quæ fax, quæ flamma intus, quæ incendia! certè
Intus Dardana fax, totaque flamma Phrygum.
Quin Phrygijs flammis maior tua, maior vt auctor;
Nam Troiam vſsit homo, ſed tua corda DEVS.

Diſcincti Nepotis Proſopopœia.

Quid me beatius annifer Titan videt,
Quacumque rutilã verberat terram face?
Nec illigatum eſt triſtibus curis caput,
Nec ſparſa cauâ ſunt pruinâ tempora;
Adhuc aquoſus exulat venis hydrops,
Nec hunc vel illum aut hanc vel illam diſſecat
Latente ſerrâ Naxij morbus Dei.
Me tamen amyſtidas graueſque cantharos
Nemo Falerni fortior ducere meri;
Nam ſunt perenni quaſſa vino tempora,
Et verna numquam deſerit caput roſa:
Auro cubamus, & ſedemus, & edimus,
Bibitque noſtra ex Indicâ gemmâ ſitis.
Viue Epulo, viue; breuia carpe gaudia.
Iam Martialibus intonabitur tubis,
Et ære læto tota contremet domus:
Iam Dindymenes inſonabunt tibiæ,
Lætoque buxo tota perſtrepet domus:
Calamis canetur, & cicutis Aepoli,
Mopſique cannis, Tityrique fiſtulis,
Rauciſque nemoriuagæ Dianæ cornibus,
Peluſiæque garrulis ſiſtris Deæ:
Lituis canetur, & ſonoris nablijs,
Corybantijs, Berecynthijſque cymbalis,
Berecynthijs, Corybantijſque buccinis,
Citharjſque Lesbijs, lyriſque Teiis:
Sonet omne plectrum, & omne barbitum ſonet;
Sonet omne barbitum, & omne tympanum ſonet;
Choriſque, quanta eſt, tota contremat domus,
Thyaſiſque, quanta eſt, plauſa ſubſultet domus.
Viue Epulo, viue; breuia carpe gaudia.
Vos feſta, ſocij, verba mecum ſpargite,
Et ſpineas roſeo lauite curas mero.
Si riſit vlli, riſit à primis mihi
Fortuna cunis, & Sororibus dedit
Vitæ trahenda ſtamina ex auro meæ.
Troiane Porce, lurco, venter non homo,
Nepos Apici, purpurate ſimie,

Sine mente felix; cur, Epulo, cur ſic tumes?
Vt auream, denſeque barbatam colum
Tardante dextrâ depleat Lacheſis tibi;
Sunt fila tamen, ô ſtulte, quæ Diuæ trahunt,
Sunt fila, non Cytoriæ aut Phrygiæ trabes,
Pilæve Tænari, aut Caryſti marmora,
Non ſaxa, non ſunt æra: fila, fila ſunt.

MOSES *in Tabula.*

Legiferum in tabulâ Moſem Iudæus habebat:
Emturit hanc Paulus: Quid dare, Malche, iubes?
Pende quaterdenos. Non pendam perfide; non ſic
Mens hebet, vt ſeruum pluris emam Domino:
Terdenis olim CHRISTVS ſtetit impie; tu pro
Moſe, quaterdenos me dare Verpe iubes?

PHILIPPI RVBENII *Antuerpiani viri doctiſſimi Epitaphium.*

Hîc eſt Rubenî, quidquid ex humo venit,
Homo ſub humo, ſuaque terra ſub terrâ:
At alta mens, ſoliqne celſa contemtrix,
Virtuſque rara, & Eruditio rara,
Romana penna, Tullij æmulus ſermo,
Propertiano parque pectini pecten,
Et magna, meritis ſed tamen minor, Fama;
Ille, ille denique, ille Rubenius verus,
Non ceſpite hoc, brutoque clauditur ſaxo.
Per ille Graia fertur, atque Romana,
Per ora Ibera, Galla, perque Germana,
Antuerpianis & geretur in labris,
Antuerpianis & legetur in libris,
Dum ſtabit Vrbs, dum corniger fluet Scaldis.
Nunc hoc habete carmen, & domum ferte:
Rubenius hîc eſt, hîc Rubenius non eſt.

In DAMNAM *bibacem.*

Aere grauis Damna eſt, (alieno ſed grauis ære)
Et genitus claro (ſed ſine lege) toro;
Potor aquæ, (ſed vitigenæ;) ſic vt modò Damnam
Omnis, Doliolum, picta taberna vocet.
Abſumſit vino gemmas ſex; gratus Iacchus
Sex naſo gemmas reddidit ecce nouas.

De duobus Poëtis.

Tuſci Daphnidis, Albij Britanni
Sic ſunt carmina: repperire menda

In illo, mihi crede, nulla posſis;
In hoc, quærere menda nulla posſis.

Ad ANGERIANVM *leuiculum.*

Vſque mihi comes es; per me licet Angeriane:
Verùm ſi noſtro vis lateri eſſe latus,
Adde ſalem verbis, ſalibus parcè vtere, voci
Pone modum, & pondus moribus adde tuis.
Nec volo te,nec nolo: hoc tantùm: mî comes ille
Qui leuis eſt, grauis eſt; qui grauis eſt,leuis eſt.

Pecunia.

Cur cruce ſignetur rixoſa pecunia, ſat nos
Vita docet; multas dant miſera æra cruces.

In Medicaſtrum quemdam DINDYMVM.

Omnibus in morbis offers te, Dindyme, nobis
Hippocratem; nos te malumus Harpocratem.

Lætis dura, duris læta miſcentur,
ad PONTICVM.

Semper ineſt lætis quiddam, mi Pontice, fellis;
In duris quiddam, quod iuuat, eſſe ſolet.
Cerne roſas Paphias, iuncta omnibus horrida ſpina eſt,
Omnibus at ſpinis non ſua iuncta roſa eſt.
Sed melior Deus eſt Naturâ, Pontice; cunctis
Namque animi ſpinis addidit ille roſam.
Seu duris igitur, ſeu lætis vtere rebus,
Spinis mixta roſa eſt, ſpináque mixta roſis.

In ANCVM *ſeniculum nequiſſimum.*

Omnia longa odi: breuis Ance es,te tamen odi;
Ance Suſannæis improbior ſenibus.
Qui culpas vno tot alis ſub pectore, Lethe
Quot ſub ſulphureis flammea voluit aquis,
Tu calicum remex, tu nauita ſympoſiorum,
De Damali palmam, Pantolabóque bibis.
Tu noſtri Natta es, Catilina, & Clodius æui;
Et Caci tibi ſunt, Autolycíque manus.
Heu quæ monſtra facis? quæ te torquata flagellat
Anguibus Alecto? quæ Dea noctis agit?
O odio benè digne meo, breuis Ance; ſed vt ſis
Dignior, an citò fur, in cruce longus eris?

De PLAVTO.

Metra habet,& numeros,Fauſtino iudice, Plautus;
Iudice Meſſallâ, nec metra, nec numeros.

Dum

Dum ſibi ſic pugnant, & linguæ in iurgia ſurgunt,
Soccipedémq; Vmbrum culpat hic, ille probat:
Ipſe rogor, quod dem punctum, Creſſúmne, nigrúmne;
Num pede vinctus eat, num pede liber eat?
Tollo manus, Phœboque, ô, da mihi ſcribere, dixi,
Non numeris numeris, Plauti, ametriſq; metris!

In OTHONEM, *præpoſterè ientare & cœnare ſolitum.*

Manè vorat pullos, vix ouo veſpere cœnat:
Manè ergo cœnat, veſpere ientat Otho.

Platone docente ridere vetitum.

Argolicis quoties, vel cæca ſophiſmata ſoluens
Vel vera rimans Plato tonabat pulpitis;
Lex erat, atque omni laudari pollice digna,
Arctiſsimis habere riſum in vinculis.
Paremus, diuine Plato, riſumque tenemus,
Orique frænis, lupóſque duros ponimus:
Et, dum vera feres, aut quæ contermina vero,
Silebimus, ſilebimus, ſilebimus:
At ſi Animal nos definis implume, bipeſque,
Ridebimus, ridebimus, ridebimus.

Quid Poëta.

Non infaceto Ludio nuper ioco
Riſit Poëtas; dicere pudet, ſed lubet.
Cùm ſe rogaſſet, ipſe reſpondit ſibi:
Quidnam Poëta eſt? Res, Poëta, heteroclita eſt,
Tum maximè ſapit, furit cùm maximè.

In BAROSSAM *nobilem, indoctum.*

Non Alpha nouit, non Iota Baroſſa,
Nec neſcit hoc neſcire ciuium nullos;
Tamen ille purpuratus atque torquatus
In ſigmate omni, circuloque, menſaque,
Baroſsianum ſtemma iactat antiquum,
Gentemque magnam? ſtulte quin taces? nulla eſt
Antiquior, maiorque, gente ſtultorum.

BERNARDI BAVHVSII ANTVERPIANI è Societate IESV EPIGRAMMATVM LIBER IV.

Aspirat ad cælestem patriam.

SIDEREI colles, Diuûm fulgentia templa,
Aureaque innumerâ tecta corusca face,
Elysium æterni Veris, Maijque perennis,
Lilia quod pingunt perpetuæque rosæ,
O, ego te quando! quando mea patria cernam!
Et tua ter felix aurea scamna premam!
Hîc vbi mel sine felle, omni sine nube voluptas,
Hic vbi nocte dies, vitaque morte caret.
Nos valle hâc lacrymarum, hac in lacrymarũ valle
Heu miseri, quantis mergimur vsque malis!
Prælia, paupertas, hæc nostræ præmia vitæ,
Cura, labor, morbi, denique triste mori!
Portio nulla boni datur hîc mortalibus ægris,
Cælitibus regnis portio nulla mali.
Non igitur voueam te dulcis patria? certè
Tempora lucis eant, tempora noctis eant,
De penitis vnam te suspirabo medullis,
Viuetur bipolo donec in orbe mihi.
O amor! ô desiderium! mea fax! meus ignis!
Cur me sic vris? cur? quia tam procul es.

Cur CHRISTVS MARIAE, MARIA CHRISTO *vt plurimùm iungatur.*

Vt tormenta suis appingunt singula Diuis,
PAVLO ensem, STEPHANO saxa, crucemque PETRO,
AMOSIDAE vati serram, clauamque IACOBO,
HIPPOLYTO stimulos, EVSTATHIOQ boue̅,
Imma-

Immanes T R O P H I M O boias, lora horrida
T H Y R S O,
BLANDINAE taurũ, COSTIADIQVE rotam,
Aetnæum F I D E I Q V E, SPEIQVE, AGA-
PAEQVE caminum,
Armenias T H E C L A E tigridas, atque leas;
Purpureis hæc vt fuerunt appingere Diuis,
Symbola martyrij certa cuique sui:
Sic cum Bethlemio mater Nasareia nato
Cum M A R I A semper pingitur ille suâ.
Non procul est C H R I S T V S (circumspice)
si prope V I R G O est;
Non procul est VIRGO, si prope CHRISTVS
adest. (ensis,
Vtque PETRO sua trabs, PAVLO suus hæret vt
Sic M A R I A E I E S V S: ille suæ, illa suo.
Cur ita? martyr erat C H R I S T V S, martyrque
M A R I A,
Quisque & martyrij mutua caussa fuit.
Martyrium M A R I A E pendens fuit in cruce
C H R I S T V S,
Martyrium CHRISTI sub cruce MATER erat.

Quàm peccata omnia, caudata inprimis, vitanda sint.

Vt raua mater Romuli,
Remique spurca nutrix,
Timetur imbelli gregi,
Pauido gregi balantûm;
Vt mille cinctum mortibus
Caphareum horret nauta,
Nymphæque semicanis procul
Latrantia fugit saxa:
Sic, Christiani, sic decet
Nos omne crimen fugere.
Fugiamus illud Pegasis,
Fugiamus & quadrigis;
Fugiamus illud palmulis,
Fugiamus atque velis.
Caudata sed præ relliquis
Peccata deuitentur.
Caudata sunt, ne nescias,
Post se, peracta, semper
Quæ noxiam caudam trahunt,
Detractio, Iniustitia.
Quæ cauda? R E S T I T V T I O.

Men-

Mendicus.

De DEO loquor libenter, non libenter audio.

Ad PHILOENVM *&* HYDROPHILVM, *vinosum alterum, alterum aquæ potorem.*

Grata Philœne tibi Septembri plena liquore
 Pocula ; at Hydrophilus ponit in amne sitim.
Gutture pugnatis ; pugnat quoque forma colore,
 Vnaque frons ver est, altera tristis hyems.
Hydrophilo roseæ pinguntur sanguine malæ,
 Alba Philœne tuâ sub cute turget aqua.
Agnosco Nemesin: Bacchi tibi sanguis in vndam,
 Hydrophilo in roseum vertitur vnda merum.

Puer IESVS *nudus, spinis coronatus, crucem baiulans.*

Vrunt saxa pedes, humeros miserabile lignum,
 Vrit &, heu, tenerum spina cruenta caput!
Vrit mœsta fames, vrit sitis ægra, salutis
 Vrit me nimiùm feruida cura tuæ.
Quid mirum, tantis vror quando vndiq; flammis,
 Si Boreæ temnens frigora nudus eo?

In Senatum ituri, affectus pro curiâ ponunto.

Vnum triplexque Roma quod Numen colit,
Vnum triplexque Numen hoc pius colo,
Sanctissimum, purissimum, castissimum;
Adulterum, omniprocumque detestor Iouem,
Saturnium execror, eiero Tarpeium,
Totumque despuo; Curiæ tamen velim
Stare ante ianuam, Iouem Positorium.

MICHAEL. LVCIFER.

Esto humilis, qui sidereas vis scandere sedes;
 Fastus Tænarij Ditis ad antra trahit.
Hoc probat astriferâ MICHAEL qui mansit in aulâ,
 Hoc monet æthereâ lapsus ab arce Draco.

De cuiusdam iuuenusto & longo carmine, cui nomen Elephas.

Inter Apollineos optans sibi nomen olores,
 Thessalicaque ardens cingere fronde caput,
Anguimanum quidam laudauit carmine barrum,
 Et lucæ cecinit millia dena boui.
Tam magnū Smintheus elephantē risit, & omnis
 Musa, puelliferi turba nouena iugi.
Mnemosyne cōtrà; Res, inquit, digna cachinno est:

De

De barro bardus, de boue bos cecinit.
Sed quem vos magnum ridetis, rideo paruum;
Maior Miuciadæ est hoc elephante Culex.

De Z. litterâ.

O Zeta felix! ô beata littera!
Quæ dulce, croceum, mite, floreum, vernum,
Blandúmque Zephyri blanda nomen inchoas,
Sed nec beata es tota, tota nec felix;
Nam triste, & horridum, & pice nigrius nigra,
Fimoque olentium olentius capellarum,
Etiam scelesti, Zeta, scribis Zoili
Misella nomen: mitte Zeta, vah, mitte
Ferale nomen: quid tibi cum Zoilo?
Nam voce in istâ, littera innocens nulla est;
Tu nomen orbis optimum, tu pessimum
Eadem figures? non feremus hoc vates;
Numquam feremus. Sit supremum hoc: Zoilum
Aut mitte Zeta, aut te vocabimus Theta.

De Echone.

Quæ Satyriscorum, quæ capripedum Faunorum,
Mænalijque amor est garrula Nympha Dei,
Non mihi Nympha placet; fastosa, & tetrica virgo est,
Et subsannatrix, mima, proterua, loquax.
Iussa prior fari, numquam prior ipsa loquetur;
Vt tibi respondeat, plus satis oris habet.
Si saluere iubes, ridet malè grata salutem:
Pro salue tibi væ, vox inimica redit.
Læsa salutabit; quis credat? dira minare,
Dic, Fera Nympha caue, tum tibi dicet Aue.

De egregiâ Brugensium puerorum infantiumq́; pietate.

Ad Reuerend. CAROL. PHIL. RODOVANIVM, *Brugana Vrbis Episcopum.*

Brugæ vetustæ Protomysta nobilis,
Carole Philippe Rodouanidûm decus,
Mirare mecum pusiones Brugicos,
Adeoque plenos mentis intellectulos
Primis in annis. ecce qui certo pede
Signare nondum lubricam sciunt humum,
Non ore totum fabricare verbulum,
Infante bucculâ in Dei laudes meant:
Et Vni-trinum Fulminatorem sonant,
Fabrumque cæli I E S O N, & terris fabrum,

Puer-

Puerperamque VIRGINEM, & sursum pijs
Secreta templa, & suppedaneas domos;
Sine carne Mauros, & cygneos Angelos;
Niueumque Fas, & criminis nigrum Nefas.
 Hæc cuncta, quæ vel sæpè nescit vltima,
Hîc prima vita nouit; hæc quadrimuli,
Hæc trimulique, bimulique cantitant.
Crede Rodouane Carole, & credis, scio;
Nusquam, Leonis Belgici per oppida,
Bullata, lactens, tenera, plus ætas sapit.
Sapuêre quondam seriùs viri Phryges,
Hîc nec puelli serò, Carole, sapiunt.

De CORDVLA *virgine ieiunijs apprimè deditâ.*

Pascha erat, & ternas exegerat ordine luces
 Cordula, non vllo pasta puella cibo;
Dum tandem lacrymis, & questu victa suorum,
 Puris cum puro furfure prandit aquis;
Femineoque mares animos in corpore gestans,
 Nec se furfuribus nec satianit aquis.
Quid facis, ô Virgo? bibe dulcia, crustula sume,
 Et benè fac genio dura puella tuo.
Dulcior, illa inquit, sitis hæc mihi flore Lyæi est,
 Libo Mopsopio dulcior ista fames;
Dulcior est IESVS, pro quo ieiunia seruo,
 Nec soluam, veniat dum mihi summa dies.
Siccine, mi IESV, pro te tam dulce famere est?
 Quàm dulcis cælo mensa futura tua est!

Temperantia.

Ite Galenia pharmaca,
Et pilulæ, & mala pocula:
Is bonus est medicus sibi,
Qui fuerit modicus cibi.

De Poësi extemporaneâ. Ad LAVSVM.

Tres ego, sed tu trecentos
 Lause versus fabricas,
Vnicâ, breuique luce;
 Qualis hispidi Capri,
Pisciúmve, vel madentis
 Suenit esse Aquarij.
Curre, curre magne Vates,
 Me iuuat lenium sequi:
Tarda quercus esse malo,
 Quàm repens cucurbita.

Ad

Ad Zoilum.

Carminibus speculum supponam, Zoile, nostris:
Saltem erit hîc aliquid, quod placeat; tibi tu.

Honor.

Vmbra Honor est; veterum sic vox est prisca Sophorum:
Hoc omnis docuit barba senera Stoæ:
Hoc doctis sonuit Plato syluis: Est Honor vmbra;
Cùm fugis insequitur, cùm sequerisque fugit.
Quòd si Honor ipse vmbra est; quid Honoris spes? minus vmbrâ est.
Vmbram finge vmbræ; spes id Honoris erit.

In rerum nouarum auidum.

Num quæ mira habeam, num quæ noua, quæ tibi narrem,
Vsque rogas; stulta est hæc tibi in aure sitis.
Hæc mea mira, noua hæc mea sunt, quæ narro libenter;
Factus Homo DEVS est, factaque VIRGO Parens.

PLAVTI *Scena Sosiana.*

Ridere Phœbi cùm libet Sororibus,
Frontisque rugas soluere, oris ducere,
Et concuti salisubsulis cachinnulis,
Plauti iocosi perlegunt & rellegunt,
Vnumque Sosias, duosque Sosiam.

In Medicos iocus.

Multa vetant Medici, sanæ ceu noxia vitæ;
Hunc piscem, has carnes, hæc fuge vina. Logi:
Dicunt, non faciunt; monitor bibit ac edit omnia;
Quæque alijs vetuit, non vetat ipse sibi.
Fercula nulla timet, quæ dat mare, terra, vel aër;
Bacchi vel Cereris pocula nulla timet.
Sic, cùm non faciant Medici, quæ plurima dicunt,
Nónne Pharisæos dicere iure licet?

Vini vsus dissuadetur, aqua suadetur.

Vitreo liquidi
Rore Acheloi,
Sobria focij
Labra rigare,
Albaque fluuijs
Pocla bibantur:

Fran-

Frangite rubri
Cymbia Bacchi.
Longumquè vale
Luxuriosis
Dicite vinis:
Sint satis vndæ.
Iam tibi Chiâ
Dulciùs vuâ
Argentipedes
Sapient fontes;
Cæcuba sapient
Glaucæ liquidi
Lymphæ Rheni,
Tremulæque Mosæ
Properantis aquæ:
Sì modò IESV
Sis discipulus;
Nam Discipulis
Iam nunc olim,
Dulcis IESVS,
Dulce in vinum
Mutauit aquas.

Ad Momum.

Quò, scelus, Aristarchea, quò Lycambea
Fers arma Mome? sanguinarium Theta,
Obelumque tristem, spongiamque lethantem,
Cui minaris? méne? me petis Mome?
Absiste; frustrà es; nil tyrannicæ limæ,
Istisque rugis naribusque debemus.
Nil hîc, misellè, quod ore corneo rodas,
Aut patruis quod sæue verberes verbis;
Auriga mollis mollium columbarum
Non hîc mouetur, Cypridisque quam culpes
Hîc solea nulla: incedimus cothurnati.

C. IVLIO *Onos è Liparâ, pennas nido maiores extendenti.*

Segnior Arcadico cùm sis Liparæe caballo,
Perque pigrum corpus serpat tibi plumbea vena;
Et tua sit, pauidis quanta est audacia damis:
Tu tamen & ceras veteres, Romanaque iactas
Nomina, auosque tuos ad Iulia stemmata ducis.
Credimus; & cogit virtus tua, Romula certè;
Credimus, & dium de te cecinisse Maronem
Semper Onos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

In

In Venatores NANNIVM *&* POLVM.

Dexter Nannius est, Polus sinister;
Gaudet artibus hic & hic Dianæ,
Gaudet leuibus hic & hic sagittis,
Gaudet figere & hic & ille ceruos,
Et citi leporis fugam morari,
Et damæ volucris tenere cursum,
Aprum sternere, collocare taurum,
Sed non arte pari: Poli sinistra
Redit sanguine purpurata multo,
Et cerui ex animâ bibit vel apri,
Tinctâ rore, vel hoc, vel hoc, vel illo;
Nanni dextra nec hoc, nec hoc, nec illo:
Segnis dextera, nec ferire docta
Imbellem leporémve, damulámve,
Hinnulúmve, cuniculúmve blandum,
Aut si quid sylüis iugisque in altis
Viuit mitius innocentiusque:
Segnis dextera, nec ferire docta,
Quamuis pulchra minetur: vnde tota
Hoc nunc Vrbe volat, Polo sinistra
Dextra est, dextera Nannio sinistra.

In MOSCVM *mendicum.*

Mosce quid æra petis? vili quid de stipe viuis?
Alcidæ neruos, ossa Milonis habes.
Vah pudeat! sum pauper, ais; mentire: supersunt
En bini census, Dextra, Sinistra, tibi.

In amicos fluxæ fidei.

Quis hos amicos dixerit,
Quos serus idem diuidit,
Qui manè iunxerat dies?
Quos efficit Vatinios
Lana caprinæ quæstio?
Fuge, Lector, hæc, si quid sapis,
Fuge hæc amare pectora;
Fuge hæc diaria corcula,
Tam lubricâ & fluxâ fide;
Fuge hos süauiludios,
Plumaque plumeos magis,
Magisque vitro vitreos.
Non hoc amare dixeris;
Hoc est amare, hoc Pyladis est,
Bis esse amicum nemini.

VIRGO *Mater & Puer* IESVS *in Tabellâ.*

Bethlemij Pueri, Nasarenæ Virginis ora
Quæ doctè referat, parua tabella mihi est:
Parua quidem, sed quã vel multis millibus æquo,
Præ q;â nec Phidiæ dædala signa velim.
Ecce tibi DEVS hîc,& tantũ non DEA,virgo est;
Sanctior an fingi hac vlla tabella potest?
En MARIAM, Luna est; & verus Pusio Sol est:
An dici terris clarior vlla potest?
En Puerum, Rex est Cælestûm Terrigenûmque:
Regina hæc: pingi maior an vlla potest?
Vincit Virgo rosas,candentia lilia vultu;
Infans sidereus: pulchrior esse potest?
Virginis in gremio niueæ, niue purior omni
Ecce Puer recubat: castior esse potest?
Nubibus ille tonans, hîc Nymphæ ludit in vlnis.
Numen Nympha regit: blandior esse potest.
Ille mel, hæc lac est; hic lac est, tota mel illa est:
O Superi! fingi dulcior vlla potest?
Ipsa Salus Mundi hîc, simul hîc Spes altera Mundi est:
Mortales! pingi lætior vlla potest?
O IESV, ô VIRGO! si nunc depicta tabellâ
Vestra parit facies gaudia tanta mihi;
Quanta dabit non in tabulâ! quæ gaudia coràm,
O felix coràm gaudia quanta dabis!

S CAROLI BORROMAEI *effigies.*

Dimidium pinxit quæ dextera BORROMAEVM;
Norat quòd totum pingere nemo potest.

In Martyrium P. ALPHONSI *à* CASTRO *è Societate* IESV.

Alphonsum multâ violatum cuspide ferri,
Quassum verberibus, vulneribusque grauem,
Deuoluunt rabidũ in Pontum gens impia Mauri,
Iratum iaceret cùm sua colla mare.
Alphonsum vt sensit Pontus, sua colla remisit.
Cærula, & erectæ mox iacuêre iubæ.
Quin etiam multo cingentes lumine corpus
Dorides, æquoreum littus ad vsque ferunt.
At vos, ô scelera! & ô nil nisi crimina, Mauri!
Vindex non claudo est pœna secuta pede.
Quæ pœna? ignis. io bene! vos glacialibus vndis,
Alphonsum; sed vos perdidit igne Deus.

Ad

Ad R. P. GISBERTVM BAVHVSIVM F. S.
Carthusiæ Bruxellensis Priorem,
pro Patria salute.

Lapsantem Patriam, iamque in sua busta ruentem
Gisberte cernis, nec vetas?
Auxiliatricem dextram citò subde, priusquam
Trahat ruinam flebilem.
Quî poteris, quæris? magnum quem conficis ore
Palmâque contrectas Deum,
Subde labascenti Patriæ, quo Belgia fulta
Atlante, labem non dabit.

In noctem quâ CHRISTVS *captus est.*

O nox tartareis quâ non est cæcior vmbris!
O tenebræ! quales nec Stygis antra tegunt.
O nimiùm vecors, nimiùm tu Delia lenta es,
Quòd Phœbum Phœbe es passa perire tuum.
Hæc nox illa fuit, quâ morti tradita vita est:
Hæc nox, quâ sensit vincula, capta salus.
Verum, ô! pœnarum hæc summa est, non prima tuarum:
CHRISTE, in quâ es genitus, prima doloris erat.

LOVANIVM.
Anagramma.
VINVM ALO.

Cerasa, nucesque, pomaque,
Amygdalosque, prunaque,
Lapidosa corna, & mespyla,
Et quidquid est tragematum
Mensas secundas quod videt,
Concedo totum Belgicæ:
Ego VINVM ALO LOVANIVM.

Ad DEIPARAM.

Ite ad sideream properè, mea vota, MARIAM;
Nam miseris numquam non patet ille sinus.
Cur, petet, ad summum non sitis missa Tonantem;
Dicite, ab offenso vos timuisse Deo.
A manibus, sed, Virgo, tuis mala nulla timemus:
Impos enim irasci es, cetera cuncta potens.

Ad CONSALVVM, *pro* CHRISTI
amore fame consumptum.

Dum rabida esuries hinc te vorat ore canino,
Hinc sitis, & cæli maximus vrit amor:

Teque coquit ſimul atra fames, ſimul ardor Olympi,
Dic Conſalue, fame es mortuus, ánne ſiti?

Lamentatio IOBI.

Pereat, beatas inter exulans luces,
Quâ primus iſtos fluxit in oculos Phœbus!
Pereat, quietas inter inquies noctes,
Quâ ſemen ortus, & meæ pauimentum
Vitæ locabat mater! inſciens mater,
Quantæ procellæ, fulminis, tonitrique
Faceret alumnum! O perduelle cælorum,
Terræque caput! O hoſticum caput Diuis
Viuiſque, ſuppedaneiſque Nigritis!
Lux illa ferro concolor ſeneſcenti
Acheruſianis fiat atrior portis:
Nox illa turbinis ebrieſcat in gyris
Et buccinantibus vluletur à ventis:
Cæcas tumultuentur aſtra per Syrteis,
Tenebricanſque puluerem bibat luna:
Nox illa faſtis non notetur in chartis,
Nec circulantis adiuuet rotam menſis,
Quia naſcituro peſſulum obdidit nullum
Repagulumque facile præbuit vitæ.
Vita, mea vita! vita, mea dolens vita!
Cur non parentis in ſinu cauernoſo
Necem bibiſti, nectus antè quàm natus?
Vel cùm Dieſpitrem ocellulis ſalutaſti,
Cur non ſalutaſti, & ſimul valedixti?
Cur curuiflexa genua matris inſedi?
Et arcuatos poplites fatigaui?
Cur me papillâ appendit arduâ nutrix?
Cur non bibentem toxico venenauit?
Nunc nunc iacerem ſomniator in nigrâ
Pollinctus vrnâ, nec meo rebellaret
Fortuna capiti. Parcit ira defunctis.
Non inſtat ictæ mordicans canis prædæ,
Cordatus excors præterit leo corpus:
Fortuna viuos allatrat, fugit truncos.
Iam cum Sabææ regibus tiaratis,
Et pileatis conquieſcerem Parthis.
Et albidentes, cetera piceos, Mauros
Scythaſque niueos, fumidoſque Bracmannes,
Syroſque olentes exul inter errarem.
Eò colonos omnis ora dimittit.
Ibi omnis exul & ſimul ſedet ciuis;

Tyrrhe-

Tyrrhenijs reus vagatur à vinclis:
Cubat Tyrannus mole fuccubus ferri.
Ibi feruus herus eft, & grauis herus eft feruus:
Ridetque rufticus cilia togatorum;
Et fub Gigantum ludit ora pygmæus.
Ibi nullus ordo, at fempiternus eft horror:
Obliuiosâ gens fepulta fub nocte,
Nigroque decies denigratior Mauro.
Hei morere Iobe, morere, quid times Iobe?
Cui dies crux eft, cui quies crux eft;
Cui ftare crux eft, & federe cui crux eft;
Cui crux tacere eft, & cui loqui crux eft.
Cruces amici, aut fortè veriùs corui:
Sed ipfe tibi maxima miferrimo crux es.
Quis pro tot vnam crucibus abnuat mortem?
Hei morere Iobe, morere, quid times Iobe?
Quotidie pati, quotidie mors eft.
Pati neceffe eft, non neceffe viuendum eft:
Excutere vitam, vita non poteft pœnam.
Seu te, quietifer alijs, tenet fomnus,
Sudator irruit & pauorifer Phanto:
Ad te Magæra cum Sororibus plena
Infomniorum nocte deferunt plauftra.
Hei morere Iobe, morere Iobe, quid viuis?
Cùm me famelica (quæ necefsitas tarda eft)
Cogit refracto capere quidpiam labro,
Lapidefcit omne quidquid incidit linguæ,
Et ore quidquid mafticatur in trifti:
Pòft vbi fcabrofas deuadatur ad fauces,
Spinofus hæret ficut in rubo panis;
Luctatur ire, mox redire luctatur:
Et cum medullinorace coctus à luctu
Conor palude aquare proximâ fauces,
Mox lacrymofo temperantur à riuo,
Pluitque falfus de meis genis imber.
Seu cùm à potente fobrius timet vino,
Fumofa purâ pocla clarigat lymphâ,
Ne vina combibens bibatur à vino.
Hei morere Iobe, quid mori times Iobe?
Velut vnda decumos tuberatur in fluctus,
Ventique follicantibus volant buccis,
Imoque fculpunt molle marmor à fundo.
Mox nulla requies, ficut igne fuppofto
Commurmurantes fpuma crefcit in fpumas,
Ratibufque fimiles extruunt aquæ montes,
Iaculantur aftra, mox in ima fubfidunt,

Sic me perennis fluctibus quatit luctus,
Superambulantque & subterambulant curæ,
Fanaticique Panicique terrores
Semiustulatâ me sub æde suspendunt.
Hei morere Iobe, morere Iobe, quid viuis?
Fortè melius erit, esse non potest peius.
Pati necesse est, non necesse viuendum est.
Exuere vitam, vita non potest pœnam.

Indoles bona & mala.

Mens bona, si quando recti de tramite flexit,
Mox gemit, & lacrymat, sub lacrymisque rubet:
At mala mens, peccasse negans, alba obstinat ora;
Huic dolus absq; dolore, huic dolor absq; dolo.

Ad quemdam feliciter exulantem.

In patriâ te pauperies morbique premebant,
Nunc exul morbis pauperieque cares:
Corpus, & arca rubent; auro hæc, tu sanguine: multis
Exilium in patriâ est, patria in exilio.

De Fabris ferrarijs, ad MILONEM.

Non ridenda, Milo, tibi gens Vulcania, Fabri,
Nigra quòd à multo est nocticolorque foco:
Vtilis ars Lemni est, & Paci, & commoda Bello;
Belli quæ gladios, Pacis aratra facit.

In CASTRICVM *de formâ suâ superbientem.*

Stulte, quid à speculo fastus tibi sumis inanes?
Arsacios vultus? Partha supercilia?
Nempe quòd ambrosio tibi purpura vernet in ore,
Et vincant Geticas lactea colla niues,
Et tua montiuagæ possit certare Dianæ,
Possit & aligero forma decere Deo.
Scilicet hæc animos, & pectora pauonina
Dant tibi; iamque amens te velut alter amas,
Narcisso similis quem frigida torruit vnda,
Fraus & imagineæ quem mala lusit aquæ:
Sic te demoreris, proprio sic totus in ore es.
Narcissoque idem te coquis igne tui.
Nescis, heu nescis, quantilli flosculus æui,
Quàm citò formoso cedat ab ore decor;
Vitrea gemmula, fluxaque bullula, candida forma est,
Nix, rosa, ros, ventus, fumus, & aura, nihil.

Tem-

Tempus erit, veniet cùm pallida buxus in ora,
Et rosa de pictis defluet ista genis,
Flammaque ab vranimis isthæc migrabit ocellis,
Nec stabunt solitis pulchra coralla labris;
Tum tibi cùm veniens formam populabitur ætas,
Illa superbifici ruga supercilij,
Illi, illi vultus, fastigatique capilli,
Cuncta cadent, eheu Castrice, cuncta cadent.
Tunc rhonchus, tunc risus eris, tunc sibilus vrbi,
Et scopus extentis vnus eris digitis:
Ille olim rosa vera, cinis nunc pallida; amorum
Illa olim facies, nunc nisi ruga nihil.
Hæc illi: tu tristis, & insolabilis ibis,
Ad rigidos pressus pænè caput silices:
Nullus in ore color, nisi liuor: pingere vultum
Sola tibi poterunt dedecus atque pudor.

Aenigmatica quæstio ad GAMBARAM.

Oedipodem quæro; dic tu bone Gambara, quis sit
Qui manibus, pedibus, non caret, atque caret?
Vellitur, vt video, iam nunc tibi gausapa barbæ;
Mordes labra, vngues rodis, & vsque taces?
Nil opus est miseræ syluam te vellere barbæ,
Infestoque vngues perdere dente tuos.
Dicam ego, sed Dauus; tu corrige, si sapis vltrà,
Oedipodionio magne vir ingenio.
Qui manibus pedibusq; caret, qui non caret, ille est
Quem Chiragræ & Podagræ serra tyranna secat.
Aspice scripturum, manibus caret: aspice iturum,
Hei, nequit: ad mensam & pocula truncus adest:
Sed quoties serræ redeunt, quotiesque dolendū est,
Hei, misero neuter pesque manusque deest.

BRVGA.

Millies felix, generosa Bruga!
Necte iam claro capiti coronam,
Omne pascentem decus, & pyropis
Dulcè ridentem: nec enim vel alta
Memphis, aut Didus, Cecropísve sedes
Notior Brugâ est; date serta, sceptra
Ferte Reginæ Cybelæa turba:
Iam per Eoum, Borean, & Austrum
Claret, & nota est super Herculanas
Bruga columnas.
Bruga sanctorum genitrix Catonum,
Christiana Sparta, magistra morum,

Docta, iusta, casta, benigna Bruga.
Fascium cæli, metuensque Virgæ
Consulis summi; cui præpes ala
Fulminis diri, tonitrusque rauci
Magna vox seruit: tremis hunc, timesque,
Bruga, deque imis colis hunc amasque
Pectoris venis. O amata cælis
Natio! cunctis ô amata terris!
Hîc puer virum sapit, hîc Platones
Vagiunt cunis, simul & Marones.
Tullios certè, Fabiosque claros
Se foro præstant; dedit os rotundum
Filius Maiæ, fluuiumque linguæ
Aureis Brugæ pueris, simulque
Ora de byssó, Siculo que melle:
Nam mel, & byssum, & violas loquuntur,
Et rosas, & lilia, cinnamumque.
Nulla Xantippe hîc, pluuiæque rixæ,
Nullus hîc Chremes tonat, & Molossum
Elatrat canem: procul ira: Pax, Pax.
Nempe nil blandæ tenuêre Brugæ
Seminis Pyrrhæ, veterisque saxi;
Ingenî mitis, facilisque moris
Ciuis, & terra est dominos secuta.
Fertilis certè, nec amicta vanis
Frondibus tellus: properant arata
Rura, & optatum veniunt in aurum.
O Bruga, ô felix Bruga! tota virtus,
Et mel, & lac, deliciumque tota,
Pulchra, fortis, splendida, diues; vnum est,
Quo cares pulcherrima Bruga, rugâ.

FRANCONIA *Flandriæ Tetrarchia.*

Franconia, ô Franconia,
Soror aurea aureæ Brugæ!
O vera Tempe Flandriæ,
O pulchra Veris filia!
Ridens, virens perenniter
Tot vitibus, tot syluulis,
Argenteisque fontibus,
Leui pedibusque riuulis,
Gibbosulisque collibus,
Bibaculisque vallibus.
Hîc Flora certè rosicoma,
Spicicoma regnat hîc Ceres;
Hîc pollici tenero nihil,

Falci-

Falciique quod metat deest.
Franconia, ô Franconia!
Tuis columbis mitior,
Tuisque blandior cygnis.
Quid hoc, quid esse dixero
Quòd nil habes feri maris?
Nil illius, nil illius,
Nil illius feri maris,
Tibi quod ferocientibus,
Phreneticisque fluctibus,
Casantium pulsat latus.
Franconia, ô Franconia!
Tu verticigenæ Palladi,
Pharetrigeroque Apollini,
Tu ter tribus Sororibus
Curuæ lyræ solertibus
Quàm nobilem, laxam, hospitam,
Quàm commodam præbes domum!
Noua Phocis, & Bœotia,
Noua Cyrrha facta frigidis
Septemtrionis filijs.
Franconia, ô Franconia!
Sanctâ Fide spectabilis,
Quam Septicollis vrbium vrbs,
* PAVLVSQVE te noster docet, *Paulus V. Pont.*
Et PETRVS in PAVLO docet:
Tu Libræ, & aurei Modi,
Iustique tam sanctè es tenax,
Quàm prisca nec fuit Stoa,
Securigera neque Tenedus,
Nec pagus ipse Martius.
Sit finis iste denique,
Sit meta, sint oua hæc tibi,
Hæc quarta, summaque sit tuba
Laudis tuæ Franconia;
Si quando rursus cogitet
Astræa terras linquere,
Hîc vltimum ponet pedem.

In AVLVM, *Soteria largiùs bibere solitum.*

Vt valeant Reges, diadematique Monarchæ,
Sæpiùs, & plusquam sit satis, Aule, bibis:
Vnde tibi sitiens nunc venit, & aridus hydrops;
Hoc bibere est alijs, Aule, sitire sibi.

In HERMETEM *Rhetorem.*

Balbus, & imberbis, vacuum & fine Pallade pectus,
Orare iussus Rhetor Hermes,
Vix primum Quamquam, vix dixerat, Auditores,
Os perdidit, memoremque mentem.
It cælo risus. Quid rides turba proterua?
Respondit expectationi.

In GALLIENVM *suspicacem & biliosum.*

Nihil fit mihi, Galliene, tecum:
Nam si fors duo ludibunda verba
Nostro nescia fugerint ab ore;
Mox rubrum tibi pingit ira nasum,
Auenæque meæ tubam reponis,
Fulminando, tonando, litigando.
Si quid suadeo consuloque recti,
Dolos omnia credis atque casses;
Si quid dulce loquor, meique moris,
Spinas omnia credis atque sentes.
Tecum nil mihi, Galliene; quidquid
Dextrâ porrigo, tu capis sinistrâ.

Nouem MVSAE.

Quisquis ades Lector, fias spectator; amœnû hoc
Optat spectari, non, Epigramma legi.
Mira vide, lepidus noster iubet, ecce, Poëta,
Vndenis Nymphas stare nouem pedibus:
Calliope, Polymneia, Erato, Clio, atque Talia,
Melpomene, Euterpe, Terpsichore, Vranie.

Quibus verbera.

Nux, asinus, campana, piger, sine verbere cessant:
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille iacet.
Sed simul vt ferri plagam sensère, vel vlmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

De Marco T. Cicerone, Sallustio, Liuio, Plinio.
Ad NAEVOLVM.

Linguæ Romuleæ, eloquentiæque,
Princeps & pater, & decus supremum
Nobis, Næuole, Marcus vnus esto;
Hunc & Liuius, æmulusque Crispus,
Hunc & Plinius, at procul sequantur:
Certè hos cedere Tullio necesse est,

Et

Et locum dare Principi patrique,
Ne mî, ne tamen hos neges Latinos,
Indignosque putes teri legique;
Laudans, Næuole, Tulliana tantùm,
Hic dignus, mihi crede, Tulliano.

Epitaphium BENEDICTI ARIAE MONTANI.

O vrna, æternis violis dignissima spargi!
Aeternâ dignè vermiculanda rosâ!
Hîc ver, hîc habita, virgatos huc calathiscos
Fer Dea, floricomo florea cum Zephyro.
Hoc Syrus in tumulo est, Hebræus, Graius, & Auson,
Verus item, sed non teter & vstus Arabs.
Quinq; homines? inquis, mi Lector fallere; nã qui
Graius, is & Latius, qui Syrus, ille & Arabs,
Hebræusque idem: nempe hic est magnus Arias,
Qui patriâ vnus homo, quinque sed ore fuit.

De B. ALOISIO GONZAGA, *Societatis* IESV, *ad pictorem.*

Cæli Quirites paruulos, & Olympiæ
Aulæ Camillos, plumeos Germanulos,
Quoties laboras, albe pictor, pingere;
Violas, rosasque (scio) ligustra, & lilia,
Gygenque, Athymque, Hylamque, Nisũ, & Nirea,
Hæc cuncta misces; mille formas colligis
Vt vna constet: hásne vis curas tibi
Minuamque lites? aspice ALOISIVM;
Vis pingere Angelos? fac Aloisios.

Ultionem paranti.

Cæsi fata Patris iurasti, testibus astris,
Vlcisci armiferâ, flammiferaque manu.
Deprecor; at frustrà. Cælo sim perfidus? inquis:
Stulte, hac perfidiâ turpior ipsa fides.

Tumulus Mercatoris infelicis.

Fortunæ pila nigra, redux bis diues ab Indis,
Naufragio bis inops, dum maria Inda secat,
Mercator iacet hîc; cuius mihi dicere longum
Nomina sit, moriens nomina mille habuit.

De Mure, & Epigrammatis.

Hæc si Mathusalemijs
Victura credis sæculis;

Si fortiora ferreis
Edacis æui dentibus
Hæc nostra credis carmina,
Amice Lector, fallere:
Quid esse grande dixeris
Epigramma? quid magnnm putes?
Cùm nocte nuper vnicâ,
Eaque perbreui (solet
Quales habere falciger
Rubensque messor Iulius)
Bis quinque, bis decem mihi,
Vorarit vna syllaba *. * *Mus.*

Quis malus, quis pessimus Præceptor.
Ad FLACCVM *Discipulum.*

Audi Murciæ
Lentæ lente puer,
Turpe Gymnasî
Nomen, Flacce, tui.
Cur reas manus,
Iam nunc præcipitis
Doctas aleæ;
Et pugnæ, & vetitis
Suetas lusibus,
Castigaturæ
Doctoris boni
Subducis ferulæ?
Cur hunc asperum,
Inclamasque ferum?
Sub quo nil licet,
Præceptor malus est:
Ille est pessimus,
Sub quo cuncta licent.

In mortem Sanctissimæ Virginis
Matris MARIAE.

Non adijt cælum moriens Nasareïa Diua:
(O scelus, exclamas, verbaque digna cruce!)
Non adijt certè; causa est, nam venit ad illam
Cælum, & stellantis gloria tota domus.

In B. IGNATII *iconem.*

Qui circum IGNATI miratur tempora flammam,
Miratur, flammam, credo, quòd ignis habet.

Ad

Ad Beatißimam MARIAM MAGDALENAM.

Clemens, MAGDALIS, & potens Patrona
Audis criminibus, reisque cunctis.
Nam queîs pectora felle tincta nigro,
Et diris piceata corda noxis;
Quos & Tænariæ latrator aulæ,
Cinctus colla rubentibus colubris,
Sæuis iam tenet implicatque spiris;
Tu bonâ, ô bona, tu potente dextrâ,
Faucibus canis eripis trifaucis,
Et sinu recipis, tegisque: nempe
Olim pessima Magdalena-lena
Et plena & satura omnibus venenis,
Nunc es antidotum omnibus venenis.

Venerabilis EVCHARISTIAE *theca.*

Cùm sim plena Deo, & circum me plurima penna
Alipedum iuuenum, cælicolûmque volet;
Cùm simulem gemmis formosos ætheris ignes,
Chrysolithis flagrans tota, & iaspidibus;
Cùm mihi flammiuomo tantus sit fulgor ab auro,
Solibus vt certem cùm sine fæce nitent;
Quærendum est supra Lunæ mihi cornua nomen:
Vilet, & vnius vix mihi Terra pili est:
Vos Capsæ, Thecæque, ô nomina parua valete;
Cælum ego sum, cæli nomina magna peto.

Dei Amor & Timor.

Vt fugiam scelus omne, & amem super omnia Numen,
Da mihi fræna Timor, da mihi calcar Amor.

De nato, & passo CHRISTO.

O nati Christi bona nox! ô lux mala passi!
Lux mala luce carens! nox bona nocte carens!

In Imaginem sanctißimæ CATHARINAE SENENSIS.

Hæc illa CATHARIS, decusque, duxque
Virginum Italidum, & columbularum,
Olim quotquot erunt, fuêre, suntque.
En vt palleat, vt nihil rosarum,
Purpuræ nihil, aut coralliorum,
Labris virginis insidet, genisque;

Sed

Sed gelu, & cinis, vua, cera, buxus,
Eheu, sunt gelido algidoque in ore.
En, vt pectore Virgo fusa toto,
Paſsis brachiolisque, palmulisque,
Clausis lampadulis ocellulorum,
Bucculâ tenerè suauiante,
Incubet Cruci-Virgo fixa,-fixo,
Iungens pectore pectus, osque sacrum
Premens ore sacro: premens IESVM
Totum tota suum, omnibus lacertis.
Beatam, ter & ampliùs beatam!
Hæret vitis in vlmo, & ipsa viti:
Et quamuis glacies hyemsque vultus,
Signa mortis habent, malique lethi;
Quamuis algida, cæca, muta, surda est,
Intus clamat, amat; suumque sponsum,
Turturemque suum osculata turtur,
Gaudet gaudia summa gaudiorum,
Indis gaudia præferenda gazis,
Gazis gaudia præferenda Lydis,
Mille gaudia præferenda regnis.
Nec tu quisquis ades, quòd ora Virgo
Gerat liuida, mortuam putabis:
Nam quòd pallet, amore virgo pallet;
Nec est mortua, sed puella dormit.

Quid PAPA, *ad Biblianum Batauum.*

Scis, Bibliane Batauc, quid signet P A P A?
Qui Petri Apostoli Potestatem Accepit.

Inferi.

Eheu dolenda! heu misera sors Adamidûm,
Quos nigra claudit ianua,
Furuique seruat Atriensis Tartari
Latrator ingens Cerberus.
Flammas edaces, Arcticum & sæuum gelu,
Lassique saxa Sisyphi,
Sitimque Tantali, famemque Phinei,
Et Thessali tristem rotam;
Hæc sine nullo, speque nullâ perferunt
Orci nigrantis incolæ:
Breuesque vitæ noxias (dolor, heu, dolor!)
Semper luent, nec eluent.

BERNARDI BAVHVSII ANTVERPIANI è Societate IESV

EPIGRAMMATVM LIBER V.

Respice Stellam, voca MARIAM.

IONIAS quisquis fragili rate sustinet iras,
  Aut Scyllæorum iurgia rauca canum;
Siue illum rabidæ circumtonat vnda Maleæ,
  Carpathias equitat cùm pater Eurus aquas;
Seu miser in Maurâ currum defixit arenâ,
  Cùm patitur tortos irrequieta Notos;
O quàm Ledæis blanditur fratribus albus
  Nauita, cùm media nox rapit atra diem!
Nec solito vesper stellas accendit in auro,
  Mœsta sed in piceâ stat domus alta togâ;
O he, Castor ades! te non fulgente perimus:
  Hem Pollux, quónam dux tuus ardor abît?
Non ego sic, nuper Batauo deprensus in alto,
  Aeolus in nostrâ cùm stetit hostis aquâ,
Et subiti liquidum texerunt æthera nimbi,
  Et pluuij venit magna ruina Iouis;
Non ego Ledæos Pueros in vota vocaui,
  Sed melior Noctis Stella vocata mihi est.
Pro face Pollucis, fax impolluta MARIA est;
  Pro face Castoreâ, casta MARIA mea est.
Hi gemini, fateor; MARIA vnica: sat tamen
  vna hæc.
Plus poterit geminis Fratribus, ista Soror.

Sancti cuiusdam Apostoli icon.

Ecce Senem, niueisque comis, & lumine miti,
  Cui vultu in toto blanda columba sedet:
Et læuâ liber est, & firmat stipite dextram,
  Aureaque è dio vertice flamma salit.

Dic

Dic hospes, quis sit: nec circum tempora gnoma est,
Nec nomen, fateor; nil opus, ora vide.
Pax & Amor totus, totus Dilectio vultus;
Hic est, FILIOLI DILIGITE ALTERVTRVM.

GRATIA DEI.

Diua, cui radios, atque aurea tela comarum,
Cælicolæ debent, pennigerique Chori;
Diua Parens Diuûm, quotquot nūc æthere in alto
Ambrosiam pascunt, ambrosiæ Pueri;
Diua veni, diuesque habita sub paupere tecto,
Pectore Diua meo; Gratia sancta veni:
nčta veni, nam te sine nil, per te omnia possum;
Astra patent duce te, te sine nulla via est.
Te sine si currant lacrymæ, sine pondere current;
Vtque precer, nullum, ah, in prece pondus erit.
Sit ramosa domus syluis, sint pocula lymphæ,
Gramineusque cibus, stramineusque thorus;
Et psallam, & nigras vigilem cum lucibus vmbras;
Quidquid agam, & satagam, te sine non sat agam.

DEI FILIVS *in vtero* MARIAE.

Stupesce terra! Olympicum,
Interminum Numen, Chao,
Omnique principio prius,
Cæli sator decemplicis
Et flammei arbiter ætheris;
Hic, hic Puellæ paruulæ
Et vix trilustris Virginis
Vtero MARIAE clauditur.
Vah! Punctus ambit Circulum.

Aperti pectoris.

At non aperti pectoris sunt sæcula hæc?
Vsura, nullo vt sueta, tecta pallio,
Per densa fora vagatur, & per oppida;
Lectique fraudes ambulant in publico;
Et ipsæ apertis ambulant nutricibus,
Omni pudore deuorato, Virgines:
Nónne hæc aperti pectoris sunt sæcula?

MARIA *sub Cruce.*

Stat Genitrix duris plangens sibi pectora palmis,
Flens, & amaritiæ tota MARIA mare;
Pluri-

Plurima nam miseram percurrit lacryma Matrem,
Et medijs flumen ducit in vberibus,
Deque genâ genibus liquor incidit: hei mihi! IESVM
Iam quoque præ lacrymis cernere cæca nequit;
Luctaturque loqui, sed singultantia tristes
Post alias aliæ verba secant lacrymæ:
Quas tandem, tandem eluctata, hoc dicere solum
Singultans potuit: O Simeon, Simeon!

De vitâ Carthusianâ.

Pallentem nuper rigidi Brunonis alumnum
Sic adijt, mundum linquere certus Odo:
Ede Pater, quæ Carthusiæ sit regula vitæ,
Quæ nox, quæque dies; quid fugiant, quid agant.
Ede quibus studijs hîc viuitur. Ille, tacendo,
Fugit, & ingemuit. non potuit meliùs.

HERCVLES.

Ioles amore captus est,
Omphalæ amore victus est,
Ille, ille, victor omnium,
Fortißimus Tyrinthius.
Risit Puellus aliger,
Et arcui inscripsit suo,
Amor Hercules est Herculis.

De Arthritidis morbo acutißimo.

Quos secat Arthritis, quamuis frons morbida non est,
Hos tu ne sani corporis esse puta.
Sana cutis celat vitiatos frigore neruos:
Quæris vbi doleant? quære vbi non doleant.

Ad Amatum iuuenem præmaturè canescentem.

Iam tibi stant circum iuuenilia tempora cani,
Nigrantemque comam iam color hostis habet.
Vt fatear, mirum est, sed non miserabile: quid fles?
Quod citò de coruo es factus, Amate, cygnus?

Inuitante Licinio rus deserit, vrbem petit.

Tot me supplicibus vocasti in vrbem
Tabellisque, tabellionibusque,
O mei, Licini, medulla cordis,
Vt me posse negauerim negare

Hoc desiderium meo Sodali.
Ergo picta mihi relicta rura.
Et riui lenè murmurantis vndæ,
Et fons vitreus irrigator horti;
Lucus Musicus, aërisque cines
Cantores nemorum mihi relicti;
Inque vrbem pede non volente veni,
Vndanti populo, lutóque nigram:
Sed fallor, populo; bis octo namque
Calspio Lapitheïóque vultu
Vrbi-paruulæ inambulant cohortes,
Omnes barbaricâ, asperâ, inficetâ,
Saxeâ, orifragâ, horridáque linguâ.
Hæc illa vrbs populosa quam canebas?
Hæc tibi, Licini, frequens videtur?
Ignotis Scythicisque plena linguis?
Mî certè mage sola rure solo est:
Hîc meo genio lubet morari.
Vale Rus, dabit hæc mihi vrbs eremum.
Sunt hæc millia solitudo nostra.

PARRHASIVS & ZEVXIS.

Zeuxi Parrhasius melior me iudice; namque
  Hic homines doctus fallere, Zeuxis aues.

In LAVSVM *impostorem*.

Phyllidas, & Nisas, Damonas, & Alphesibæos,
  Dudum fraude malâ ludere rure soles:
Pro gemmis lapides, vendis pro piscibus angues,
  Pro rebus fumos, pro ratione dolos.
Nunc doctæ, & pulchrè clypeatæ mœnia Brugæ
  Intrasti; hanc etiam fallere, Lause, paras?
Fallere; namque duos vel tres vbi luseris, omni
  Mox populo multæ fabula bilis eris:
Vtque lupus passim allatrabere: non benè fallit
  Crede mihi, quisquis fallere, Lause, solet.

De IVONE *puero nautico*.

Aurigis pelagi nuper puer Iuo duobus
  Seruiit; hic Mello, Furius alter erat:
Mello pius, mitis, facilis; rugosior alter,
  Et ferus, & nomen Furius ipse suum.
Cærula mors vtrumque rapit, dum cærula verrunt;
  Audiit Iuo absens, risit, & ingemuit:
Heu, & Io dixit; maduerunt luminis orbes,
  Dexter lætitiâ, læuus amaritiâ:

Ros

Res mira, & noua res; sed quæ noua, quæ mage mira est,
Immitem gaudet, mitem habuisse dolet.

Ad DIVAM *studiorum Præsidem.*

Diua Rotæ celebris, Studiis sis dextera nostris;
Fortuna inuideat, te CATHARINA voco.

MARIAE *cælorum Reginæ excellentia.*

Induperatricem, magnique Monarchida mundi,
Proxima Tergemino quæ sedet vna Deo;
Qui non miratur, qui non pius amplexatur,
Nil stupet hic magni, nil amat ille boni.
Nil illâ melius, nihil est à Numine maius,
Summum cæligenûm, terrigenûmque caput.
Debuit huc MARIAE virtutum scandere cursus;
Debitus illius dotibus ille locus:
Quas omnes numeris possim subducere nullis,
Non si sexcentas dixero myriadas:
Tentandum tamen est. Numerum vis lector habere?
I, priùs in digitos sidera cuncta refer.
Hyberno numera fluctus in littore; quótque
Nerea per liquidum flabra Borëa volent;
Quot pennas aër, pinnas mare, syluáque frondes,
Mellilegas habeat flauus Hymettus apes:
Quótque puer flores annus, iuuenis quot aristas,
Poma vir autumnus, détque senecta niues:
Hæc numera, dotes MARIAE numeraueris; omnis
Hic numerus, dotûm Virginis vnus erit.

P. GASPARI BARZAEO *Zelando, è Societate* IESV, *Armusianorum Apostolo.*

Et meritò certè, meritò sanctissime GASPAR
In manibus Diuûm dicimur esse pilæ:
Tu BARZAEE probas; te protulit vltimus orbis,
Ver vbi constrictas vix benè soluit aquas:
Mox sed ad Armusiam tamquam pila mitteris vrbem,
Ianus vbi tepidas vix benè nectit aquas:
Vt te Dîa manus tetigit, pila sancta, volabas,
Per iuga, per montes, per mare, per scopulos,
Europáque fugis, sic, sic, quasi chara fuisset
Europa exilium, patriáque Armusium.

De ABDONE *Concionatore ac Philosopho.*

Verba pius populo vix ter benè fecerat Abdon,
Eua illi ac Adam bis, ter, in ore fuit;
A vetito semper processit Concio pomo,
In pomo semper Concio clausa fuit:
In Logicam peccas Sophiæ clarissime Doctor,
Hoc est, hoc verè est, Principium petere.

Hæretici arguendi, & si animum obstinent, castigandi.

Iurgia in hæreticos quidam iacit aspera Præsul,
Et sanctum Domini se probat esse canem.
Est, cui non placeat, quòd tantum latret; at hoc mî
Aegrè est, quòd tantùm Præsulis ira latret.

De Parasitis, ad ERASMVM *diuitem.*

Pulex est Parasitus, opes sunt sanguis, Erasme:
Non te linquet, opum dum tibi sanguis erit.

Iudicium de variis moribus GALLIONIS.

Iudicium ferri vis de te, Gallio, nullum;
Visque malos de te, visque tacere bonos:
Vis de te cœnas, vis prandia cuncta tacere,
Visque scholas de te, visque tacere fora.
Laudâram; (memini) factus sum protinus hostis;
Culpâram quiddam, sæuior hostis eram.
Sed nunc, nunc qui sis, me iudice, Gallio, disce;
In manibus carbo est, cretáque fausta meis.
Gallio vir bonus es, vir seruantissimus æqui,
Inque tuas noctes fabula nulla volat;
Largus es, & sistis quocumque in paupere: verùm
Virtutes tantas decoquit vna gula,
Nam tibi in ignotis quæruntur prandia terris,
Et census magnos Indica vina liquant.
Nec satis hoc; Indo quando incantata racemo
Tempora sunt, pugnas tunc violentus amas.
Sed Pacem mox siccus amas, & Palladis artes;
Hinc te Laurigerûm plurima turba colit:
Tuque adeò vatem vario te carmine iactas,
Eque sinu promis millia multa: Tua?
Iam scio, iam sæuis, sed ne bone Gallio sæui,
Infestus noster vix tibi carbo fuit;
Trita mihi creta est: me iudice, sunt mala multa,
Sed bona plura tibi, teque malo es melior.

Iudicio

Iudicio hic finis, Pax Gallio; ſcripſimus* anno hæc
Quo cunctis licuit ſcribere IVDICIVM.
* *Anno* CIↃ. IↃ.C.XIII.

In obitum Venerandi ſenis P. CHRISTOPHORI CLAVII, *è So. ietate* IESV *Mathematici & Aſtrologi eximij.*

Clauius è terris cùm iam vix ſidera noſſet,
Da DEVS hæc propiùs cernere, dixit: obît.

In CASTORIS *exoticam gaſtrimargiam.*

Dulcia liba vorat; lentè ſed vina pitiſſat:
Res noua, liba bibit, vináque Caſtor edit.

FLACCO *Concionatori.*

Quis neget orando populum te, Flacce, mouere?
Orantem quando concio tota fugit.

Ad ANGELVM CVSTODEM.

Gaudia cùm me praua iuuant, tunc Angele ploras;
Rides, cùm mea me crimina flere iuuat:
Magdaliæ lacrymæ ſunt vobis dulcia vina,
Et lacrymæ vobis, vina Holofernia ſunt.

DIONYSIVS RICHELIVS *Carthuſianus.*

Eſt qui per populos centum vagus errat, & vrbes,
Et patuli mundi permeat omne latus:
Hic matutinos Seres, ſerum ille Matinum;
Hic Boream, medium viſit at ille diem:
Aſt ego dum vixi, latui Carthuſide cellâ,
Hæc mihi Thula, Tunes, Roma, Iaponque fuit.
Nec tamen ignoror nimiùm, ſunt clara Richelî
Nomina, per populos me mea ſcripta vehunt;
Iámque adeò Populi me norunt quattuor, hoſpes:
Romulidæ, Sinæ, Sauromatæ, Numidæ.

In LANDIVM *omnium dictis annuentem.*

Te miſerum, Landi, qui numquam diceris alter:
De quo, cùm duo ſunt, dicitur, Vnus adeſt.
Nam loqueris, quidquid ſocij tibi lingua præiuit:
Quod probat ille, probas; quod negat ille, negas.
Ille tibi puero legem dat moris, & oris,
Ille tuos vultus & tua verba regit.
Diuideris numquam, numquam contraria ſentis:
Riſerit? arrides: fleuerit? illacrymas.

Ardet in ignotum? rugas quoque fingis, & iras:
Ardet in ignotâ? tu quoque fictus amas.
Quilibet accessit, mutat tua quilibet ora:
Horâ sæpè vnâ sic geris ora decem.
Ah, Landi, dum te similem vis fingere cunctis,
Mirum, quàm fias tu tibi dissimilis.

De Lampade, ad quemdam.

Fabra tibi est lampas; vis hanc vt carmine laudem:
Nempe, operam vt perdã, perdit vt ipsa oleum.

De Hæretico quodam, ad BALBVM.

Hæreticum nosti præconem, Balbe, Felinum?
Illum, illum picei de genere Autolyci?
Hic sibi Papistas, nuper, dum pocula siccat,
Sub pedibus cunctos vouit habere suis.
Non æqua orantem DEVS audiit auribus æquis:
Nunc celsâ pendet de cruce: numquid habet?

CRISPO LENTVLO, *tardo & celeri.*

Pes tibi Crispe celer, manus est tibi Lentule lẽta;
Ad mala pes celer est, ad bona lenta manus.
Res remedî facilis; pigris calcaria danda
Sunt manibus, pedibus frænáque danda tuis.

Ad VARRONEM, *cur Amor puer.*

Cur puerum, Varro, nemo non dicit Amorem?
Cur canum fingit nulla tabella senem?
An caussa est, quando mortalia cuncta senescunt,
Quòd verus numquam, Varro, senescat Amor?

In ABSALONIS *cæsariem.*

Flauicomi capitis quoties sibi pectinat aurum
Dauidides, radios contrahe, Phœbe, tuos.

In eumdem.

Quidquid habes, Phaëthontis habes puer Absalo; frons est
Par ebori, lumen fronte bigemme tibi:
Aurea cæsaries, & barbæ est aurea vestis,
Pictis picta tuis inuidet vua genis;
Inuidet & labris Pæstani purpura floris,
Inuidet & manibus nix Rhodopëa tuis:
Verùm, heu, tam niueam speciẽ mẽs inquinat atra,
Mens amens, præceps, turgida, cæca, leuis.
Hæc Phaëthontis habes; caue ne, sublimiùs æquo
Cum quo scandisti, cum Phaëthonte ruas.

In

In mortem eiusdem.

Danididæ crines iusto librentur an auro,
Scire hoc vult arbor, librat & ipsa virum.

R.P. GISBERTO BAVHVSIO, *Bruxellensis Carthusiæ Priori, F.S.*

Ne me collaudem, parcè te laudibus orno,
Cùm tu, ego; fimq; ego, tu; laus tua, laus mea fit.

Ad eumdem Neomystam.

Quonā apice, & quanto, frater, stas culmine rerum,
Si nescis, tuus est prodigiosus honor.
Despice, sub pedibus totus tibi sternitur orbis:
Suspice, quod videas nil nisi Numen habes.

Aliud ad eumdem.

Qui facili ore Deum profers, Cerere, atque Lyæo,
Quin Gisberte, pari te facis arte Deum?
An quia iam Deus es? magnus, me iudice, fluxā
E Cerere, æternum qui facis ire Deum.

Angeli pacis amarè flebant.

Flebant amaram pacis Angeli necem,
Flagraque, crucemque, & fata Christi immitia.
Ergóne cælites tangit aliquis dolor?
Nullus: sed vbi mortalium nemo fleat,
Flendum Angelis est, risibus cùm vos datis:
Ridere vultis Angelos? lacrymamini.

Ad PAVLAM.

Paula quid quereris, perisse fratrem?
Quid fundis lacrymas, & inquieta
Longo pectora conficis dolore?
Si probus fuit, & fuit pudicus
(Sed probus fuit, & fuit pudicus)
Iam nunc sidera calcat, & superbum
Felix sub pedibus terit Olympum:
Quare, desine, Paula, lacrymarum;
Mori Christicolis piis probisque,
Non est Paula perire, sed præire.

In CLODIVM ALBINVM.

Pinguem parari Clodius iubet cœnam:
Campana centum Persica, Ostiensesque
Decem melones, ostreaque quater dena,

Ficedulasque, mulleosque, rhombosque,
Centumque poni quinquies iubet ficus:
Adhæc Falerni Masſicive Lyæi
Decem diotas; & tragematum quidquid
Menſis ſecundis ponitur, iubet poni.
Ponuntur; eia, quem vocabit ad cœnam?
Hem! Clodium ad cœnam vocabit Albinus.

Ad CARDANVM.

Terræ iugera tu decem
Auri contegis vnciâ?
Aſt quadriplagum ego ſolum
Et Tritoniacum ſalum, &
Cæli ingentia mœnia
Faxo auri tegat vncia.
Dices, In tabulâ; Rem acu.

Facilis deſcenſus Auerni.

O facilis nimiumque patens, quæ ducis ad orcum
  Semita, & ad Stygij regna in amœna Iouis!
An non eſt facilis nigri deſcenſus Auerni,
  Quando illò cæcus quilibet ire poteſt?

In GEORGIVM THOMSONVM *Scotum*, DEIPARAE VIRGINIS *maſtigem impiiſsimum*.

Baſſaridum, Thomſone, genus, barbaráq; Baccha,
  Pœne leo, tigris Parthica, Marſe canis,
Thrax, Geta, Sauromate, Biſton, Scytha, barbare Quade,
  Scote Atreu, Phineu Scote, Britanne Nero,
Dente Theon, animo Timon, ſine mẽte Chorœbe,
  Circum vipereæ ſunt cui corda fibræ;
Nigra colubrino ſtillat tibi lingua veneno,
  Præque tuo nullum fel crocodilus habet:
Mille tuo piceæ ſtabulantur dipſades ore,
  Proſpectátque tuis regulus ex oculis;
Sunt trifidæ fauces, vox ferrea, flammea lingua eſt,
  Oblatrare tibi Cerberus ipſe neget.
Heu animi infelix, quæ te furiauit Erinnys
  In Superos tragicâ prælia flare tubâ?
Ah miſer Ixion, quid famâ in Cælite ludis?
  Cur linguæ rabies tam pretioſa tuæ eſt?
Illa, illa, æterni genitrix & filia Solis,
  Illa mel, illa fauus, illa roſa, illa thymus,

Illa

Illa poli dulcis Maiestas, summaque cæli
Purpura, Thomsono displicuisse potest?
Displicuit certè; quamuis Hyblæa, polique
Dulce mel, & nectar, totáque dulcis Apis:
Mel tamen hoc felli est, hoc illi nausea nectar,
Lerna illi hæc Hybla est, Ibis ei hæc Apis est.
Sichemio colitur quòd Colle, hoc ringitur irâ,
Et cuperet rastris hæc iuga sancta coli.
Ferree, tu ferro lignus, sæuáque securi;
Illa auro digna est aurea Diua coli.
Sic roseus colit hanc Flander, sic decolor Indus,
Et Syrus, & multi pastor odoris Arabs;
Quisquis & auriferam ad Perüam, Mundique tepore m
Viuit, & Heliacæ feruet ab igne rotæ.
Hoc scio te rūpi, hinc pallens tibi buxus in ore est,
Rumpere, rumpere, dirumpere flagitium;
Rumpere torquatæ fratercule Tisiphoneæ,
Cui puero Eumenidum fellea mamma data est.
O fax, ô pestis, nostrique infamia sæcli!
Totus noxa, lues, fraus, dolus, ira, scelus.
O qui te Oceanus, quæ te lauet, improbe, Tethys!
Sed nec te Oceanus, nec Thetis vlla lauet.
Tu scelerum, tu cunctorum, Thomsone, malorum
Oceano magno, maior es Oceanus.

In PYRRHVM, *omnia omnibus promittentem.*

Qui te cumque rogant, & quæ te cumq; rogantur,
Promittis sociis omnia, Pyrrhe, tuis:
Fiet erit, faciam, donabo, cras, modò, iam, nunc.
Quiduis poscatur, nil tua lingua negat.
Munificus sic esse putas? sis blandus auarus;
Nam cessant, post tot splendida verba, manus:
Nec pro promissis grates tibi dicere par est;
Omnia promittens, omnia, Pyrrhe, negat.

Parentis & filij pium votum.

Parentis, audi, & filij votum pij:
Medicus parens, natus Chirurgus, hoc vouent,
Ne vitā in omni mutuam poscant opem.

HERCVLI GRANDANIMO,
adolescenti Pedemontano.

O frontis angustæ Puer,
Timidule, pallidule Hercule;
Hoc ter quaterque te rogo,

Ne me salutes amplius,
Nam mî salutem reddere
Per est molestum: namque te
Quoties saluto, mentior.

CAROLO GVILLETO, *Musico præstantissimo, de Thrasone quodam Musicastro.*

Deformis ille Musicus,
Iudæ cui ruffa est coma,
Tripilisque ruffa barbula,
Vinoque gemmeæ genæ,
Ventosus, arrogans Thraso est,
Et insolens præco sui.
Nam nuper inter pocula
Iactasse sic se, Carole,
Buccâ caninâ dicitur,
Verum, peritum Musicum,
Primumque se, solumque se
Totius esse Belgicæ,
Se præter esse neminem.
O viueret Democritus!
Non viueret, risu crepet.
Verùm quid insolens Thraso,
Quid iste follis diceret,
Si sic adires, Carole?
Tun' primus es, tun' solus es
Nostræ Magister Belgicæ?
Si solus es, quî primus es?
Si primus es, quî solus es?

Quis diues.

Diues Mæcenas, auro qui nouerat vti:
Euclio pauper erat, proprio leuior licet auro,
Nummorumque esset ditissimus; at sibi durus
Fonte sitim, porrisque famem deponere suerat,
Et natæ in tædas assem vix sustulit aulâ:
Ignotus iacet ergo, aut solo in paupere notus.
Contra Mæcenas, æternum est carmen, amorque
Vatibus, imparibusque Sororibus; est & honore
Nomen Amicitiæ: Mæcenas audit, egenti
Quisquis opem fert Vati, & doctâ Pallade natis.
At, cur nunc rarus Mæcenas, Euclio multus?
Aurum rarus habet, multi sed habentur ab auro.

In gloriosum FVLCONEM.

Vnde leues Zephyri, ruit vnde procellifer Eurus,
Ferreus vnde Aquilo, plumbeus vnde Notus,

His noscor populis : tepidi me Nilus & Indus,
Me gelidi Rhenus Danubiusque sciunt.
Hæc iactat,titulis,Biberî, Chaldî, atque Meronis,
Fulco tumens,semper mens cui vincta mero est.
Et cùm vincta mero est,tum pãgit carmina vates,
Quæ Ligur,Indus,Iber,sed piperata legunt.
Noscitur ergo Orbi ? sic certè:at sola per Orbem
Non lux pulchra volat, nox quoq; nigra volat.

Festina lentè. Ad CRISPVM.

Sic tibi FESTINA LENTE, sic ΣΠΕΥΔΕ
ΒΡΑΔΕΙΩΣ
Crispe placet; scripta his est tibi tota domus:
Quin & Phidiaci cæli tibi limen eburnus
Ornat eques; stimuli cui pede,fræna manu.

Natura defectus.

Nescio quod certè miseri nunc degimus æuum,
Ver messem. Brumæ frigora messis habet.
En coma canescit Solem vix passâ virilem;
Mensque animusq; viris , robur & arma cadunt.
Præcoquitur pueris contrà Natura; doluìque
Et mens est puero,quæ solet esse viro.
Præcipitata ruunt sic omnia: cernere passim est
Inque viris pueros,in puerisque viros.

De Cometâ Anni CIↃ. IↃC. XIIX. *&*
ERYCII PVTEANI *morbo penè capitali.*

Euasti PVTEANE, ipsoque à limine leti
Ianuaque nigrâ pedem reduxti.
Icit,non vicit,qui te malus ignis ab alto
Læserat, radiantis os Cometæ;
Qui nuper stellantem Arcton violauit,& Austrum,
Monstrosâ face territans Booten.
Cùm trabe flammatâ tot formosissima solus
Formidabilis iret inter astra:
Numinis irati, vt credunt, dirumque minantis
Rubens,virgifer,ensifer Satelles!
Ergo triste iubar,suspensum terruit Orbem
Et Belgis rapuit rosas ab ore.
Pallenti violâ nos tingens : me quoque rugâ
Arauit duplicique,triplicique.
Dum tibi supremum lapidem , mœstamque cupressum,
Vrnamque ossilegam audio parari.

Fors,

Fors,mala si tabes te exanguibus adderet vmbris:
At (charum ô superis caput!) Cometam
Luctantem tecum potuisti vincere; quando
Tu non occidis,occidit Cometa.

Votum ad DEVM OPT. MAX.
pro Cometâ.

Visa gentibus vtriusque Mundi
Virga flammea flammei Cometæ,
Parcat Gentibus vtriusque Mundi
Quæ sub axe colunt,vel hoc, vel illo,
O iustæ,Deus,ac benigne,dextræ!
Minax,flebile,noxiumque sidus
Vt terrere sinas,veta nocere;
Vt nocere sinas, veta vagari;
Ne per millia, quod minatur, erret
Sitis Bethuliæ, fames Sagunthi,
Morbi,bellaque,pestilentiæque.
Hoc Deus, sed & ampliùs rogamus,
Errores Batauos, Britannicosque,
Gebennæque nigræ (nigræ Gehennæ)
Veta serpere longiùs venena,
Veta longiùs ambulare fraudes.
Mille denique lugubris Cometæ,
Damna, spicula,tela,fata,mortes,
Ire quadrifidum veta per orbem,
Veta errare Deus,veta vagari.
Parce gentibus,obruatur vnus;
Caput, sit satis, aufer hoc; & istum
Cometam fieri veta Planetam.*

* πλανᾶν, *errare.*

In Puppum pumilionem.

Dum moriēs suprema animæ fert frigora Puppus,
Nemo paret tumulum, pyxide condar,ait.

Nominibus non semper credendum.

Nominibus credam , nec numquam , sed neque semper;
Nec numquam verum , sed neq; semper habent.
Clara,Agatha,Ambrosius, Stephanus, Vincentius, Agnes,
Conueniunt Sanctis nomina pulchra suis:
Barbara, Cæcilia, Vrsinus,Lupus,Vrsula,Asella,id
En, pugnant Sanctis nomina praua suis.

In

In Imaginem S. MARIAE MAIORIS, *olim a* D. LVCA, *& nostrâ memoriâ perelaganter expressam à Gandio.*

Sidereos vultus Nasareïdos Heroïnæ,
Quos LVCAE exscripsit deliciosa manus;
Dædaleo nuper radio, pennáque nitente
Gandî etiam scripsit deliciosa manus:
Desidiâ at longâ; fraudes dum colligit omnes,
Et totum in doctam se vocat ille manum.
Ergo Timantæos rores, dum vertitur anni
Ter rota ter, patiens ista tabella bibit;
Tum demum visa est sic viuere Diua bilustris,
Mentiri vt vitam non queat vlla magis.
Vidit vt hanc LVCAS stellatæ è mœnibus Aulæ,
Certat, ait, Diuæ, Gandia Diua, meæ;
Illa, vel illa mea est, sed quæ sit nescio: nostrâ at
Altera facta manu est, altera digna manu.

Ad SEXTVM, *de Amici lapsu.*

Crimen, Sexte, mei cur plorem quæris Amici?
Peccaui, fateor, non ego, at alter ego.

De P. PETRO FABRO *Societatis* IESV, *Galliæ Germaniæq; Apostolo.*

Venturo in lucem Fabro, sic Numina fertur
Supplice nixa genu Terra rogasse parens:
Sæcula sunt ferri, toto furit hæresis Orbe,
Da DEVS hunc, cōtra hæc ferrea sęcla, Fabrū.

In AMBRAM *Epicuréum.*

Lacrymasse numquam fertur Ambra: non vixit.
Carere vera lacrymis nequit vita.

Ad FABIVM *militiam meditantem.*

Ergóne vadis, mi Fabî dulcissime?
Ad castra pergis Martia?
Nec te tui flentes tenent amiculi?
Nec triste scissa cor, soror?
Medulla patris es; emedullabis patrem?
Teneræque vita matris es;
Hanc sæuus euitabis? ah, Fabi, mane!
Nec caute surdâ surdior,
Duráque durior, parentium nega
Audire verba supplicum.

Si certus, inque mobilis es abscedere,
Hæc iam puta te dicere:
Pietas vale, bona mens vale, salus vale,
Pudor vale, virgo vale:
Namque ista sola vita nunc est militum,
Malè viuere, & benè bibere.

In CORBAM *anum merobibam.*

Potare florem sueta Liberi Corba
Auro, vel onyche, vel Canopicâ gemmâ,
Decoxit omnia; nilque relliquum fecit
Rugæ senili, annisque tristibus gaudî.
Iam cum podagrâ litigátque chiragrâ,
Siticuloso & intumescit hydrope;
Strictâque glande famem, sitimque crudelem
Compescit vndâ: ferreum vnde nunc cælum,
Crudele Numen, improbos vocat Diuos.
Quiesce Corba, sanxit hoc Adrastêa:
Qui delicatè pranderit, malè vt cœnét.

In ARTVM *seniculum merobibulum.*

Vini doliolum, nuper Milo dixerat, Artum
Siccantem cyathos, ter duo, térque decem:
Mox cernens magnas Arti aures, Fallimur, inquit,
Non hic doliolum, vera diota meri est.

De M. ANTONIO MVRETO
Oratore clarissimo.

Romuleam nuper Pallas dum viseret vrbem,
Turbáque cum Phœbo Melpomenæa suo.
Mureti os dîum Pimplæides admiratæ
Fulmine nunc ruere, flumine nunc fluere,
Et modò flexanimâ mella Itala fundere linguâ,
Attica nunc doctis fundere mella labris,
Clamarunt Diuæ: Gaude Tritonia, gaude,
Quæ sine matre Dea es, non sine fratre Dea es.

De se.

Nunc humili socco, nunc me iuuat ire cothurno,
Ludere nunc cannâ; nunc iuuat ære tubæ:
Omnibus hoc vitium Phœbi cantoribus; ipsum
Alternis Phœbum sistra lyræque iuuant:
Sed neque fonticolis pulsatur dulce Puellis
Semper ebur; mixtis gratia rebus inest;
Nec frustrà Aonio pendent de pumice circum
Cymbala, plectra, lyræ, tympana, sistra, tubæ.

Te

Te quoque mi Lector, pede nunc, nunc ire caballo,
Nunc iuuat ire rotâ, nunc iuuat ire rate.

De Zoilo.

Io triumphe! io triumphe! Quis, ohe, me
Secundioribus volat rumoribus?
Iam placeo certè; nostra iam recto ambulat
Thalia talo; nîl Quiritum pollices
Vltrà moramur, aut sonantes dexteras:
Ipsi probamur (nónne satis est?) Zoilo.
Nam fila, plectra, barbiton laudat meam,
Et cuncta dicit digna Phœbi filio,
Et esse Phœbo. Nempe quid dicit? Negat.

S. CATHARINAE *Studiorum præsidi sua commendat.*

Cùm Phœbi, cùm Mnemosynæ sis filia prima,
(Sed Phœbi CHRISTI, Mnemosynæ MARIAE)
Primaque Musarum, & vatum sis gloria prima,
Virgineæ, CATHARIS, primáque Dux choreæ,
Te certè meliore loco cantare decebat,
Et tua erat primi pagina prima libri:
Sed quo nunc legeris (liceat tibi vera fateri)
Esse loco haud poteras vtiliore mihi.
Vt pauidos sequitur latratrix Pœmenis agnos,
Sic versus sequeris tu CATHARINA meos;
Illa gregem seruat, tu nostra Epigrammata serua;
Arce tu Momos, arcet vt illa lupos.

AD LECTOREM.

Vt nec multa darem, nec pauca Epigrammata, Lector,
Sum victus hoc dilemmate:
Si bona, Bilbilicum sapiant si nostra salinum,
Non esse pauca, iuuerit;
Si mala, si nihil hîc Itali gustatur aceti,
Non esse multa, iuuerit.

CEN-

CENSVRA.

CVM *iuxta Lyrici Poëtæ censuram,*
Omne ferat punctum, qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo:
omnino illud etiam tulisse existimauerim R. P. Bernardum Bauhusium è Societate IESV, *quinque his Libris Epigrammatum, quæ iisdem posthuma accesserunt: vt in quibus, præter eruditionem, argutiam, venustatem, argumenti pietas insuper variè inspersa, Lectorem prouocet, vt non modò cum voluptate ea adeat, verùm etiam vt melioris vitæ normam reportet. vnde & meritò typis tradenda, & diuulganda indicaui Kalendis Aprilis,* M. DC. XX.

Laurentius Beyerlinck Canonicus & Archipresbyter Ecclesiæ Cathed. Antuerp. librorumque Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum est, nequis,* Bernardi Bauhusij è Societate IESV Epigrammatum Libros quinque, *præter Balthasaris Moreti voluntatem imprimat, aut alibi excusos in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésue habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* XXV. *Augusti,* M. DC. XV.

Signat.

N. Lombaerts.

BAL-

BALDVINI CABILLAVI YPRENSIS

è Societate IESV

EPIGRAMMATA SELECTA.

BALDVINI CABILLAVI YPRENSIS è Societate IESV

EPIGRAMMATA SELECTA.

Luna.

PAR Proteo incertâ transformis imagine ludit
Cynthia, & ancipiti ſtatque caditque globo:
Nunc radians, nunc cæca, cauo redit vnca, vel amplo
Plena globo: hoc vnum quis putet eſſe iubar?

Nox & Dies.

Mille oculos gerit illa, Cyclops hic errat: at vno
Plus oculo hic cernit; luſcus an Argus erit?

Nox illuſtris.

Cælibe Luna micans oculo pernoctat in vmbrâ:
Ire putes ſolem, mille ſed aſtra micant.
Quod potuit, dat mille faces argentea lampas:
Pæne diem mendax nox ſine nocte facit.

Nox ſerena, in aquis apparens.

Irradiat aureis tranquilla per æquora tædis,
Et ſtellat vitreis aſtrifer orbis aquis.
An cælum in pelagus deſcendit? an arte Promethei
Nereus ingenuo ſurripit aſtra dolo?

Vmbra loquitur.

Ludo tibi mimum, ſcenam ſi quæris: vbiuis
Cæca comes, κωφὸν muta πρόσωπον ago;
Et miris te fallo modis: quam quolibet anno
Stare vel ire putes; dum fugit vmbra, iacet.

Iris.

Picta triumphalem ſol nubila lunat in arcum,
Igneaque vrendis tela minatur agris.

Anxia terra tremis? ride; quæ saucia sicco
Sole sitis, areum solis & anna bibes.

Grando.

Saxa hiememque ferens inuertit Aquarius vrnam;
Saxea grando ruit, quæ priùs humor erat.
Sic qui fusor aquæ est, duris it funditor armis.
Pro petaso, his galeam quære, viator, aquis.

Diluuium.

Defrenata ruunt torrenti flumina nimbo,
Nubigenoque natant naufraga prata mari.
Aëris ista fides? tellus quos speret amores,
Si coniux pluuij coniugis arte perit?

Echo.

Paucula fortè loqui volui, cùm pauca loquenti
Nescio quæ ludos vox mihi mima facit.
Iamque sono, tradux sonus errat in auia, fit vox
Vna loquax, populus; vocis an aura parit?

Aquila ad solem pullos explorans.

Plus mihi dat Phœbus quàm Iupiter; ille ministrum
Fulminis, alituum me facit ille ducem.

Phœnix.

Cinnameo busto Phœbi se funerat ales,
Vitali vt surgat ipse, nec ipse, rogo.
Par est sors palmæ. Phœnicis an arbor imago?
Arboris an Phœnix vult magè fata sequi?

Anas Orcadicus.

Naïadum vitreum ad thalamum tumet arbor alumno
De ramo. expectas poma? natabit anas.
It flos de conchâ, de flore natatile pomum:
In pomo hoc comedet nescius hospes auem.

Luscinia.

Dum caneres viridi, nec dum mihi visa, theatro,
Quid grande est; dixi, vox cui tanta sonat?
Vt vidi, obstupui, & cœpi nescire quid esses.
Mox dixi: Vox es, prætereaque nihil.

E pennâ Anseris calamus scriptorius.

Qui vox totus aquis, & lingua loquacibus vndis,
Anser, Naïadum garrula nola sonat.
Quin nec morte silet; loquitur nunc omnia pennâ.
I nunc, & mortem dic sine voce nihil.

Ad Pauum.

Addubito, gemmas, Argi an magè mirer ocellos:
An ver pennarum discolor, anne rosam:

An

An magè tot ſtellas: potiùs mirabor Eoi
Ad radios irim quam ſine nube facis.

Galli querela.

Aſtra noto, & ſudas ebuccino peruigil horas,
Cui trabea ex auro, purpura viua caput:
Et me claudis harâ ſus ruſtice? degere in aulâ
Debueram. neſcis? Rex ego & Aſtrologus.

Coruus vel Aquila, puluerem volatu collectum insidens cerui cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes.

Cornigeros agitat populos niger ales, & aſpro
Vngue premens profugos penniger vrget eques;
Præcipiteſque rapit, roſtroque euiſcerat vnco.
O mors! vis ceruo parcere? mitte canes.

Taurus auis parua, ſed voce boum mugitus imitans.

Si totum aſpicias, credes ſine corpore corpus:
Mugitum audieris, dixeris eſſe bouem.

Auis Indica Naſo.

Si roſtrum adſpicias, volucre naſutum elephanta,
Pænè putes, naſo cornua tanta tument:
Et vox tanta tonat, toto an pars corpore maior?
Hui monſtrum! tubicen iam minor ipſe tubâ eſt.

Auicula par muſca.

Tange licet teretes pennas, teres inſpice roſtrum:
Et dices, Auis eſt, quam modò rebar apem.
Emigra ad Antipodas textricula neptis Arachnes;
Pro muſcâ hîc capies, aucupis inſtar, auem.

Mare.

Fluxa fides ponto: nil mitius æquore credas;
At nuſquam (ô fraudes!) ſæuior ira tumet.

Scylla.

Nunc vorat alta breues, nunc Scylla regurgitat vndas,
Nunc ferit aſtra, nigro nunc ſedet hauſta Erebo.
Ipſa ſuo Tethys ſi regno it naufraga, & vndam
Vnda vorat; poteris parcere fida rati?

Arundo.

Tange licet, fragili crepitat ſeges arida culmo,
Quam Nais liquido paſcit aquoſa ſinu.
Quid mihi cum lymphis, cui ſiccior igne medulla?
Et cùm ſim mergi neſcia, mergor aquis.

Riuus flexuoſus.

Ludit, inexplicitoſque volubilis errat in orbes,

Saxa per & pictum roscida prata nemus.
Riuus, inexplicitosque recurrit & errat in orbes.
An struit in crispis fons labyrinthon aquis?

Eluuies fluminis.

Abruptis vagus amnis agros insultat habenis.
Mersa Ceres, cyano gramina mersa vado.
O cælum! ô tellus! campi fit flumina, & omnis,
Ah! seges vnda; siti verte colone famem.

Nauigatio.

Veliuolas pelagi per cærula currere sylnas,
Quaque fuga est liquidum radere mortis iter,
Vt vidi, ingemui: Sic sic iuuat ire sepulchro?
Non satis in tumulum pulueris orbis habet?

Spongia.

Quot circùm radiat æther oculissimus astris,
Tot numerat oculos spongia cæca suos.
His quid agat, quæris? bibit & vomit ebria fluctus:
Mille oculos vnam non nisi crede gulam.

Cetus.

Ingens ingentes prouoluit bellua fluctus,
Tota sonant monstro saxa fluentisono.
Obstupuit Doris, tot sensit vt æquore motus,
Et viuum scopulum credidit ire mari.

Torpedo.

Arcanas hiemes, & cæca papauera ponti
Abdo sinu, ac celerem frigida vincla necem.
Et tibi dicor iners torpedo sepulta veterno,
Tam citò quæ surdo curro per ossa gelu?

Vranoscopus, sic dictus, quod oculum in fronte cælum versus gerat.

Quid mihi cum ponto? falsas dedignor arenas.
Vnde libet mergar, qualibet astra sequar.
Vraniæ hic oculus: quid enim nisi sidera spectem?
Solus ego è brutis fratribus Astrologus.

Magnes.

Aeolon, Astræosque, maris bella horrida, fratres,
Num fragili palles in trabe? temne minas:
Me duce, mortis iter, mare tutus & inuia curres:
Hoc ego sum terris, fida quod Vrsa polo.

Opalus gemma

Hîc mare sapphiri viridans, hîc purpura & ignis
Siue amethyste tuus, siue pyrope tuus.
Et quis non opalo gemmat radiante lapillus?
Scrinia gemmarum gemma vel vna facit.

Palma

Palma Indica, quæ plurima vitæ humanæ sustentandæ præbet.

India quid ploras? sterili te damnat arenâ
Nudus ager spicâ, palmite nudus ager?
Parce queri; tibi palma, Ceres, & palmes Iacchus:
Mundus opum est arbos vnica, & omne penu.

Maguei arbor in nouâ Hispaniâ.

Arbor, mel; pluit arbor aquas, pluit arbor Iacchum;
Fila parit arbos, & sibi gignit acum.
Excute mordaces spinoso pectore curas:
Pro domino œconomum, quam colis, arbor agit.

Taurus ad ficum alligatus mansuescit.

Cornea cui fruticat lunatæ gloria frontis;
Asperaque irarum germina & arma tument;
Taure ferox animi dulci mitesce sub vmbrâ:
In mores ficus blanda dat ire suos.

Pinus nautica.

Quò ruis ignotum temeraria pinus in orbem?
Irritasque auidos in tua damna notos?
Plus nimium est terris semel occubuisse securi,
Vis iterùm ponto naufraga præda mori?

Seges crispans à vento.

Hîc vbi sollicitis crispum mare fluctuat vndis,
Fluctus quem metuas, rustice, nullus erit.
Portus eò hic maior, plures quò videris vndas:
Quæ ni sic crescant, naufragus absque mari es.

Caulis ebrietatis remedium.

Brassica, si viridi spectem tua dona catino
Vile caput cœnæ; cœnula parca fabrûm.
Sin bella, & Semeles cornutâ è prole triumphum:
Nobilior raro es planta laserpitio.

Calendula, singulis Calendis pullulans.

Luna cauo quoties instaurat cornua torno,
Solis opus, picto germine adopto caput.
Rustica Roma tubas seu cornua pone; Calendas
Qui signet lituus, flos tibi mutus erit.

Cucumis.

Errabunda traho vestigia more chelydri;
Anguis egón', crispo qui pede radit humum?
Sum cucumis, medijs serpens innoxius herbis:
Quem si sæpè voras, noxius anguis ero.

Amaracus, dum Cinyræ Regi adfert vnguenta, lapsus, & in odorum florem conuersus.

Inuidit Cinyræ mors tristis Amaracon, hæsit
Limine pes, lapso fudit amoma pede.

Nunc flos de puero Cinyræ dat rursus odores;
Vna dies puerum perdit, & vna parit.

Ceruus inter canes.

Mille canes volitant, volitant & mille sagittæ,
Stridula sollicitum radit arundo caput.
Et tot ego obluctor temerarius vnus in hostes?
Hîc leo si pugnet, ceruus inermis erit.

Cerui cornua.

Stat volueri pede fulta salus, sed cornua noxæ.
Pes leuat, errantem cornea silua grauat.
Plus cerui sapuere pedes quàm cornua: an vllum
Hîc caput aut cerebrum, mens vbi tota pedes?

Taurus cornua sua experiens.

Asperat in siluis lunatum robur, & asprâ
Fronte furens pecoris dux, sibi bella ciet;
Et ludi imbelli sub imagine bella figurat.
Cui pugnare iocus, pugna quid eius erit?

Crocodilus.

Sæuit aquis, sæuit terris vasto horrida hiatu
Bellua, Niliacæ dira tyrannis aquæ.
Vin' fugiam? sequar. illa fugit? magis insto. fugacem
Quò peto plus mortem, quò magè nolo mori.

Vermiculus Cocchenillo, adnascens plantæ Tunal, in eius folijs se reti includit, aptus tingendæ purpuræ.

His habitat folijs textor tinctorque: rubenti
Flore togam hic tingit, induit ille feram:
Seque suis capit vltrò plagis. quid stultius? hostis
Ipse sibi & præda. sed sapit; erubuit.

Bombyx glomo suo immoriens.

Extexo teretes lanoso pectore tramas.
Fusus vbi est, quæris rustice? nullus erat.
Maius alo monstrum: queis prægnans diuite leto
Ibo mori, viuos nostra sepulcra tegunt.

Formica.

Sum nihil, aut nihilo res penè simillima: certè
Corpus abest. punctum corporis esse putes.
Hîc tamē archiuum Sophiæ mens prouida condit,
Ac in tam nullo corpore cuncta sapit.

Vescitur suâ messe.

Furta tego, furtiquè locum, præsaga procellæ,
Nè populet hornas inuidus Auster opes.
Dein sicco horreolo fruges premo, & emolo messem;
Sic media æstiuos dat mihi bruma dies.

Asia.

Asia.

Argento hîc liquido radians intermicat aurum,
Purpureoque natat gemmea gaza mari.
Scilicet incedo Regina: hinc aurifer orbis
Natiuum capiti dat diadema meo.

India.

Supra Indum, Gangemq; supra, quà terminus orbi,
Diues cinnameo cortice silua viret:
Et dites ebeno luci hîc, cunabula solis,
Queis cælum in terris India odora facit.

Arabia Felix.

Quam sol æstiferis damnat, coquit, vrit arenis,
Nescio cur Felix dicar, & orbis honos.
An quia myrrha meo fluit vbere, Manibus imber?
Orco, non cælo debeo id vsta decus.

Africa.

Hæc ego fusca parens, nutrix animosa leonum,
Africa, monstriparis Africa fœta feris;
Quam populat ferus hospes Arabs, Scytha, Apella, Nasammon.
Non sat mõstra fero? cur fera & ipsus homo est?

Aegyptus.

Littus habet pontum, nec habet sua littora pontus:
Stagna virent herbis, & viret herba fretis.
Fit pelagus, pereunte solo, Mareotica tellus;
Mox pereunte salo, campus & amnis erit.

Europa.

Marte potens, generosa viris, fecunda triumphis
Europa, armisono voluit in axe rosas.
Hîc Asia, hîc Libye diti vbere, & vbere gazâ.
Par hæc pars mundo, mundus an alter erit?

Trapezuntium Imperium, nunc Turca subditum.

Nunc iterùm irato pontus furit ἄξενος æstu,
Tethys vbi Euxinis hospita risit aquis.
Taurica Graiugenas rursum immolat ara nepotes,
Pro ceruâ, serua hîc Iphigenia gemit.

Italia Alpibus cincta.

Saxeus Ausonium præcingit circulus orbem,
Mille super montes, queis iuga nexa iugis.
Perpetuâ natura parens hac, credo, coronâ,
Munde tuum Oenotrio cingit in orbe caput.

Campania.

Me toruo oblimat oculo contermina Thusci
Diua, pari vultu Sicelis ora notat.

Aut hîc, aut nusquam est, quod terris Itale cælum
Quæris, & Elysium, sed sine Dite, nemus.

Francia Minerua.

Iuno, Venus, Pallas certant; Iuno ardua colles,
Arces Pallas habet, & mare lene Venus.
Quis Paris hîc? nullus. nullo hîc discordia pomo,
Ad Sequanam ternas vincit olitta Deas.

Hispania Phœnix.

Fumabant Arabo iam nostra incendia busto,
Surgit odoratâ fruge renata salus.
Sole nouo effetos inserpit vita per artus,
Alter ego an Phœnix postuma sæcla traham?

Lusitania Felix.

Diues Erythræis huc adnatat hospes arenis,
Adnatat Eoo messis odora solo:
Adnatat & Ganges, & discolor adnatat Indus,
Aurifero vt nubat gemmea Nympha Tago.

Scythæ querela.

Terra hîc cruda gelu, sine flumine flumina & æquor:
Vrsa fremit terris, & fremit Vrsa polo:
Et Scythicis sol exsul agris. mihi patria tellus
Si mundi exsilium est, dic vbi viuo domi?

America ope magnetis reperta.

Cæruleo Tethys quem peplo inuoluerat orbem,
Gemma comes velis lyncea signat acu.
Trans metam Herculeam cælo natat auspice magnes,
Maior & Alcide nescius ire lapis.

Thera & Theresia insulæ, ad terræ motum è mari natæ.

Non tulit abradi toties sibi littus edaci
Terra salo, & fluctu naufraga regna rapi:
Sed ponti vlta nefas, vterum quatit anxia: terras
Quas rapuit, iusto reddidit vnda sinu.

Cos insula, ex quâ orti septem Hippocrates medici.

Hippocrates septem par vrna remittit in orbem,
Cos vbi Threïcio tunditur icta salo:
Si Cos tot medicis vitaï diues asylum,
Quem letum hîc rapiet, mors vbi mortis agit?

Rhodus olim Soli sacra, nunc Turcis subdita.

Delicium hæc Solis, cæli an dolor? iuit in vmbras,
Ah! vrit Scythicâ sub niue Luna rosam.

Ad Hæmum arboribus obtectum.

Quà caput obiectat Scythico glaciale trioni,

Iſmarioque riget Briſtonis ora gelu,
Non niſi ſpecto nigras pro monte in ſaltibus vmbras:
Contiguus cælo ſurgis, & Hæme lates?

Rhodope.

Viue diu Rhodope, ſerum memorandus in æuum;
Cumque tuâ hîc Orpheu viue perenne lyrâ.
Te ſi fama ſilet, vel ſaxa loquentur & orni.
Queis dedit ars aures, & dabit ora chelys.

Athos.

Quà licet, irrumpit audaci nubila ſaxo,
Dedignanſque ſolum ſidera lambit Athos.
Hoc tibi de ſuperis dic victrix terra trophæum,
Quæ toties cælo vindice victa cadis.

Oſſa.

Inſultans humiles colles, per inania rerum
Oſſa gigantéo territat aſtra iugo.
Nil opus Enceladu, cælo qui torqueat Oſſam:
Mons ipſe Enceladum nónne ſuperbus agit?

De Aetnâ, ad Siciliam.

Candentes vomit Aetna globos, vomit ignea matris
Viſcera, flammandos ſulphur inundat agros.
Siceli Diua tremis tot circum incendia? auarâ
Ne pereas flammâ, te mare cingit aquis.

Ad eamdem.

Siceli Diua duos dic vno in vertice montes:
Candicat Enna roſis, & rubet Aetna rogis.

Veſuuius.

Voluit luctantes anguſto pectore flammas
Veſbius, & cælo flammea bella mouet,
Seque ſuo ſepelit buſto. tremit Itala tellus.
Qui ſibi non parcit, dic cui parcet agro?

Hecla mons Iſlandiæ.

Hecla pruinoſo meditans incendia campo,
Anxia fulmineos voluit in aſtra globos.
Hîc ſpectra, hîc gemitus, hîc luctiſoni vlulatus,
Hîc nix, hîc ignes. Arctos an orcus erit?

Mare mortuum.

Guſto ſalum, crudus guſtantem torquet amaror:
Neſcio plus aloës an ſalis æquor habet.

Vmbra ſegetis ad fontem.

Orta ſolo meſſis, criſpis interuiret vndis,
Et viret vmbroſo concolor herba vado.
Inde Ceres, hinc Nais aquis ferit herbida fruges.

Sic

Sic seges vna famem lenit, & vna sitim.

Fons Castalius dulcißimus, & in silua canorâ prope Antiochiam, in suburbano Daphnes.

Qua nemus inter aquis ludit errantibus amnis
Frondeus, & puro ver bibit vnda vado,
Silua canit, dulci virgulta loquuntur in vmbrâ;
Mella dat vnda labris, auribus aura melos.

Baiæ.

Quære miser Baias, ægræ solatia Romæ,
Sulphureâ egelidus fons vbi bullit humo.
Si qua coquit pestis, medico liquor eluet æstu;
Quàm propè Nympha calet, tam propè & ipsa salus.

Vndæ calidæ ad Baias aqua.

Quis scit an hîc ardens se lauerit hospes Iacchus,
Sulphureoque suas liquerit amne faces?

Fons solis.

Manè tepet, medio sese fons frigerat æstu;
Serò calet, æstas ignea nocte coquit.
Crede mihi, non est sibi solis vt omen adoptet,
Qui quo debuerat feruere sole, gelat.

Fons Ciceronis.

Largus vt eloquij fons fractâ exaruit vrnâ,
Feruida de Tullî puluere lympha salit.
Vnde calor lymphis? num Marci ab flumine & imbri?
Fons hic è lacrymis saucia Roma tuis.

Mæander.

Nympha redux bibulos leni secat agmine campos,
Imbellesque fugit prata per vda Phrygas.
Anguipedique volubilis orbe recursat in orbes.
Semiuiro didicit ab Phryge, credo, choros.

Romulus exponitur: ad Amulium.

Tun' scelus infidâ spem Romæ exponis in vluâ?
Vota cadent aliò, Roma resurget aquis.
Improbe quē perdas, lupa seruat alumna nepotem.
Verte vices; facta est hæc homo, & ipse lupa es.

Roma maiestas.

Pyramidas, circos, Capitolia, templa, colossos,
Amphitheatra, domos, balnea, naumachias,
Purpureosque Patres diuûm genus aspice: dices,
Par vrbs hæc cælo, cur agit exsul humi?

De Tragœdijs, ad Romam.

Infelix tragico baccharis Roma theatro,
Oedipodionium læta iterare scelus.

Quid?

Quid? tibi deliciæ crudeli in cæde Thyestes?
Cui furiæ ludus, plus furor iste furit.

De Circo, ad Romam.

Quà teres aurato surgit tibi pyramis ouo,
Anxiaque effrenis feruet arena rotis;
Nolo tuā huc victrix aduertas Roma quadrigam:
Puluis & vmbra tui meta laboris erit.

Arena.

Vsque adeò sæuo te Mauors efferat œstro,
Humano vt ludas sanguine dulce nefas?
Ludus an id crimen? magnum furis ægra furorem.
Nónne furor, ludo seriò velle mori?

Fontes aërij per aquaductus.

Aërio vidi pendentes flumine riuos,
Quà vix æripedes nubilat iris aquas.
Vnde leues alæ Nymphis? quas perdidit vndis,
An dedit his pennas Icaris ala suas?

Aqua Martia.

Quà licet, aëriæ vitreo pede currite Nymphæ,
Saxeus audaces euehet arcus aquas.
Ardua Roma iubet: terras quæ vicit & æquor,
Molle pati docuit aspera saxa iugum.

Roma à Romanis perit.

Ne quid non victum foret, illa tot aucta trophæis
Roma cadit, Latio parua fauilla solo.
Nec sic victa quidem Romanis occubat armis.
Abs se sic vinci, vincere pænè fuit.

Roma de bellis ciuilibus.

Occubui Aeneadum duro collisa duello,
Armauique Italas in mea busta faces.
Sit scelus, at decus in scelere, & mors æqua triūpho:
Roma manu vinci nobiliore nequit.

Campi Philippici.

Pharsalis Ausonias frangit rursum hasta secures,
Et rursum Aemathio puluere Roma cadit.
Credo suum Macedûm tellus imitatur alumnum:
Hic orbem, illa vrbem vicit, & orbis heram.

Roma queritur.

Itur ad arma, iterùm Mauors superintonat vrbem,
Quà iacet informi flebile funus humo.
Rursus hyperboreo turbo alter ab axe ruinam
Diruet? vmbra mei rursus an apta mori?

Belisarij Epistola ad Totilam, Vrbem liberauit incendio.

Nunc Scytha pro Tanai Tiberim poturus & Arnū,
Hostili

Hostili exscindit ardua tecta manu.
Littera curta venit, ferrum placauit & ignes.
Ne cadat vrbs, vno tota stetit digito.

Ad Athaulphum Romæ euersionem molitum.

Barbarus abruptis orbis dissedit habenis;
Tot membra vrbs iunxit vnica Roma caput.
Et diram euibras nunc Romæ in colla securim?
Parce: aut trunca caput terra cadauer erit.

Roma ad Martem.

Cælitum attonitas vrbs triste quiritat ad aures:
Barbarico occumbet Martia Roma rogo?

Mars ad Romam.

Quid prohibet Geticis transscribi regna trophæis?
Roma mihi neptis, sed Geta gnatus erat.

Incendia Romæ.

Vt toties vidit Sol magnæ incendia Romæ,
Ardentique nouum fulgere nocte diem;
Ergón', ait, magnis Dea nunc vrbs æmula Diuis
Astra dabit cælo, quæ dedit antè Deos?

Byzantium noua Roma.

Fecundo senio iam iam moritura secundam
Vrbs vrbem peperit; orbis & illa caput.
Vin' decus antiquum? Romæ id metire fauillâ.
Vrbs fuit hæc, orbem quæ peritura parit.

Ad Constantinum Imperij Romani diuisorem.

Concordes aquilas, & non violabile sceptrum
Diuidis Ionioque Ausonioque freto.
O par infelix! Solem hæc colet, altera Lunam.
Hæc aquila, illa myops, noctua, & hostis erit.

Neapolis.

Quidquid auara negat nostro natura theatro,
Aut pelago aut terris crede nequisse dari.
Ver hîc perpetuum, pax his sedet aurea campis.
Dic cælum & fruges sidera odora meas.

Taxila regia Pori.

Hæc ego, si nescis, pulcherrima Reginarum,
Solis deliciæ, terrigenumque decus;
Nunc teres herba solo. quid non vis audeat æui?
Grande caput Gangis, bos pede & ore terit.

Babylon à Nemrodo condita, & post venationibus Regum Persarum destinata.

Iam nusquam Babylon, nusquam ardua nomina turres;
Aut certè hîc altis lustra vel vmbra feris.
Quam ferus haud æquis venator condidit armis,

Quid

Quid nisi venantûm regia silua foret?

Babylon loquitur.

Vt cecidi, immotis assurgo superba ruinis.
Altior illustri funere crescit honos.
Quo steterim solio, tumulo id metire. fauilla
Parua mei, Eoï nunc caput orbis erit.

Hiocania Metropolis in Perside.

Quæ caput attiguo pepulit contermina cælo,
Tempora quid faciunt inuidiosa? fuit.

Tigranocerta, quam Tigranes, viginti & duorum regnorum dominus condidit; quem victor Pompeius cepit, & magnâ ditionis parte spoliauit.

Surgere vix cœpi, & tumulo latus inclinandum,
Hei mihi! nox tantum sustulit vna iubar.
Nempe imitata suum Tigranocerta parentem.
Nam quî stare queam, cui caput occubuit?

Artaxata.

Grande prius nomen patrijs Artaxata regnis,
Nunc breuis externo fama vel vmbra solo.
Sceptra, trophæa, duces, nunc vna fauilla per auras.
Pondera quæ tellus vix tulit, aura tulit.

Sidon.

Iam Tirus & Sidon (quid non Rex falcifer ausit?)
Non obscura priùs nomina, bulla mari.
Et quis purpurei. venatur inania honoris.
Nunc si venatrix purpuræ & ipsa nihil?

Sodoma etiamnum fumat.

Flamma tenax æui piceo natat vsque sepulchro,
Igniuomoque coquit naufraga busta mari.
Tot post stagna rogus? tot post incendia fluctus?
Ignibus ignis abest, & mare id absque mari.

Troia.

En Troia hic campus, qui plurimus ossibus albet,
Quà viret Ida iugo densa cupressifero.
Quantum oculi fallunt! Asiam Mars credidit orbem,
Vix gleba est. isto cespite tota iacet.

In Byzantinos, qui obsessi noluerunt opes in vsum belli expendere.

Ferri cura iacet, mens omnis & omnis in auro
Feruet amor, cæcas abdit auarus opes;
Et tonat ad muros hostis. Quàm Græcia demens!
Emit inops auro ferrea sæcla suo.

Capua.

Immensi hîc tractus, & quondã imitantia Romam
Mœnia;nunc breue quid, parua quod vrna capit.
Vrbs Capys hoc campo? magnæ hîc diua æmula Romæ?
Quàm parua ingentis funeris ossa iacent!

Fallacia vitæ humana.

Nos labor, ira, furor,luctus,mors,cura,tumultus,
Pocla,chorea, sales, tessera, ludus habet.
Hinc illæ lacrymæ. Vitæ ô quàm fallit imago!
Nos mala vera, iubet gaudia vana pati.

Alterna quies.

Otia nunc curis, nunc verte negotia ludo;
Sol vt nocte diem, seria verte ioco.
Sæpè mori libeat; nox somno sospitat æuum.
Quæ perit interdum, se sibi vita parit.

Somnus.

Dulcè natans oculos vdis aduerberat alis
Somnus: hiems pectus, nox habet alma caput.
Sensus abest, absit. mors vitâ an dulcior hospes?
Quò plus hîc leti est, hoc magè læta quies.

Somnium.

Tu nihil,& nihilo fingis quos nescio mundos,
Et subitò furuis auehis exsul equis?
In nihilo mendax. quid dona tot improbe perdis?
Vis vno è nihilo somne bis esse nihil?

Desiderium immodicum.

Puluis homo, & vasto mundum ardet & haurit hiatu,
Tantilla immensum num mare arena capit?

Lacryma inuito emicant.

Iniussæ exsiliunt lacrymæ. vis nulla, nec vllæ
Blanditiæ cogant stare, vel ire genis.
Si dat iura dolor lacrymis, animusque dolori;
Et lacrymis animus cur dare iura nequit?

Quis modus lacrymis.

Flere lubet? ruptis nolo ruat amnis habenis,
Nec volo stet sicco cornea vena gelu.
Flere nimis, pueri est;mortem non flere,Tyranni:
Sed iusta in lacrymis pondera ferre, viri est.

Podagra.

Hinc caput intercus humor mortê impluit imbri,
Inde dolor lento decoquit igne pedes.
Quod genus hoc leti?gelat imber,& educat ignem.
Ebria an & podagra est? certè ea pota mero.

Omnis

Omnis ætas ad mortem tendit.

Siue bipes iuuenis cursum pede tendit ouanti,
Siue senex tripedi gestit abire gradu;
Par iuuenes rapit error, agon par admouet orco.
Cursor vbi dispar, stat pede meta pari.

Mors pueri.

Belle puer, vultus purâ cui purior vndâ,
Tam citò te cunis Parca maligna rapit?
Non leti id liuor, sed blandi crimen amoris:
Pulchellum puerum fœda procatur anus.

Nimio sumptu parentans.

Ver Arabum, & misto Cynareïa germina amomo
Vre parentali dona superba rogo.
Vsisti; in flammas sic prædia vertis & aurum.
An si gnatus eget, iam patris auctus honos?

Vmbra florum in aquis.

Ver vt terra suum florenti aspexit in amni,
Hei mihi, ait, mimo gurgite visa rapi!
Purpureas nónne Auster opes populatur, & imber?
Cur rapit & flores inuida Nympha meos?

Formica in succino.

Heliadum lacrymis sese vt formica teneri
Sensit, & è pingui serpere rore gelu,
Risit, & O, dixit, quàm te mors nescia fallit!
Sic geminâ condi, viuere pænè fuit.

Echo.

Pica canit, picæ reparabilis accinit Echo,
Erudit argutis garrula saxa modis.
Quid mirum? humano si garrit pica palato,
Si potis & picam saxea lingua sequi.

Imagines auorum in vestibulis.

Turba ingens ataui tua seruant atria: custos
Sed custodis eget, stat sine corde caput.
Quàm domus hæc malè tuta, vigil quam mortuus ambit.
Milleno vigilat plus canis vnus auo.

Vitis pictura.

Huc animum atque oculos aduerte atque ora, Lyæus
Inuitat, roseo diluet imbre sitim.
Succus abest: gustum fallax inuidit Iacchus:
Lumina pasce, gulæ si negat vua merum.

Iphigenia.

Timantes obnube caput, patruique querelas
Eripe, stat diro virgo litanda sacro.

Obtegis, & pullâ fraudas sub nube dolorem.
Dum sic arte tegis, detegis, inquit, amor.

Statua.

Quæ sine voce vides, immotis signa labellis
Muta putas? priscos saxa loquuntur auos.
Arrigis huc aures? oculis gens ista Quiritum
Docta loqui est. vocem fama canora tenet.

Equus Antonini.

Attonito sonipes quem stans miraris hiatu,
Arduus alipedi gestit abire fugâ.
Roma caue, cape vincla, manu cape frena; tot annos
Qui stetit, vt currat, dux, viden', vrget equum.

Niobe

Iam viuit Niobe sibi postuma, saxea leti
Filia, & humenti marmore docta queri.
Expectas gemitum? luctu silet ægra. superbum
Dum fuit ausa loqui, plus sine mente fuit.

Fortuna ex ære.

Res ego plus fragilis vitro, vitreaque pruinâ,
Et mihi de solido construis ære caput.
Crede mihi, non illa meo scena apta theatro.
Vin' benè fortunam fingere, frange vitrum.

In statuam Cleopatræ.

Hæc quæ viuaci sub caute perennat ad auras,
Nil est, nilque bibit, flebile tota gelu.
Cur Cleopatra gelat? nescis? vbi desit opimus
Bacchus, & alma Ceres, friget inerma Venus.

In Laocoontem, à Virgilio, Sadoleto, & sculptore pulcherrimè expressum.

Quid Maro, quid sculptor, quid agis Sadolete? ter vno
Vis iterùm leto Laocoonta rapi?
Viuere ter, geminâ dedit ars cum prole parentem,
Et dabit ars nouies ad tria fata mori?

Affabrè sculptus Nero.

Odero? in ambiguo est. te certè inuitus amabo:
Execror archetypum, me tui imago tenet.
Aut Nero sit melior, vel peior imago Neronis:
Quid facit ad sæuam gratia blanda feram?

Neronis statua erasa.

Roma rogas, duro cur nullus ahena Neroni
Signa foro ponat? æneus ille fuit;
Si non asperior, si vis flauente metallo
Viuat adhuc; Siculo sub boue claude feram.

Sagum purpureum.

Signa canunt, lituique; globo dux coge cohortes.
Purpureum pugnax ventilat hasta sagum.
Emicat ira, flagrat ardor generosus honesti.
Degener ante lepus, nunc leo miles erit.

Ad clepsydram.

Fida licet soles fluidâ metiris arenâ,
Mensuris profugo puluere fallis herum.
Nónne tuo numeros quò plures addis aceruo,
Labentem minuis, dum fugit hora, diem?

Phiala

Gemmanti in glacie ridens despumat Iacchus;
Hic rubet, illa gelat; hic fluit, illa riget.
Quid non ars ausit? naturæ iura triumphat
In phialâ, autumno vitrea nubit hiems.

Glacies in vino.

Aestiuat glacies ardenti fracta Falerno,
Et crudo hibernant feruida pocla gelu.
Ver tepidû autumni sic nuptus adoptat alumnus.
Pro Baccho in cyathis annus an vua natat?

Scyphus specie animalis.

Nunc toruo è vitro frondosa ad cornua Bacchi
Fit lupa, hyena, leo, pardus, & vrsa calix.
Qui bibis, hæc ea monstra putas innare Lyæo?
Fallere; iam viuunt pectore pota tuo.

Horologium.

Nola silet, statque hora, graui en traho pondera plumbo,
It rota nexa rotis, tinnulaque æra sonant.
Quis teneat lento fugientia tempora nodo,
Si dant & celeres plumbea vincla pedes?

Campana.

Sublimi erudio populum de turre, pusillo
Cum grege vbi sacrâ ceu pila ludo domo.
Et plector ferro, Diuûm quo iussa facessam?
Impia supplicij est caussa, fuisse piam.

Inauris.

Bacca emitur fundi pretio, vt maris empta periclo est,
Nunc glacies, salsis ros modò punis aquis.
Stat magno iste lapis; lapidis sed carior vsus.
Nónne gelu hoc auris vulnere stultus emes?

Labyrinthus.

Incertas siluas, & inextricabile septum,
Erranteíque vias, Dædala regna subis.

Dic labyrintheâ iam latè indagine cinctus:
Hoc minùs ars errat, quò magis errat opus.

Ad Phrygionem.

Arte Semiramiâ titulos & nomen honoris
Pingis acu, picto viuit imago peplo.
Hicne honor est, mediâ intextum te viuere telâ?
Præmium & illud habet textor araneolus.

Atramentum.

Quà liquor ater ijt, nox effluit humida pennæ:
Dic atram exigui gurgitis esse stygem.
Hoc tamen ab Lethes res dispar sepia riuo:
Immemorem hic, memorem me facit illa
Σοφῶν.

Sagitta venenata.

Vulnificam in noxam cos asperat impia ferrum,
Vipereamque bibit ebria arundo luem.
Quis furor hic? geminam telo præfigere mortem?
Quæ vix nata semel, vita bis apta mori?

Quadriga Myrmecidis.

Quadrigam vitreis muscæ rimare sub alis:
Tam nullo in stadio dic vbi currus eat?

Pythagoras.

Euphorbum sero Samius Sophos exuit æuo:
Sic tulit alternis sors voluenda rotis.
Num Sophos iste sapit? vitam qui viuit & annos
Alterius, mentem non habet ille suam.

Septem Græciæ Sapientes.

Quot tibi quæso Sophi? quot signa errantia cælo.
Non plures? terris crede tot astra legi.

Empedocles.

Pænè tuum nomen vice Numinis hæsit ad aras:
Non tulit Aetna; vomit improba sandalion.
Aetnæo metuit alter ne Mulciber antro
Fortè fies. lippo plus fauet Aetna fabro.

Heraclitus omnia igni nata docuit.

Ignis humum, parit ignis aquas, parit aëra: mūdus
Ignis, & ignigeno sidera nata globo.
Cor Sophi! & ignis homo? lux omnia, & omnia flammæ?
Vnde igitur mediâ luce σκοτεινὸς agis?

In Epicurum negantem prouidentiam diuinam.

Incertis fluitat incertus mundus habenis,
Nec sedet astrigerâ prouida cura domo.
Sors si cuncta regit, regit & sors cæca cerebrum:

Si loqueris casu,mens tua an arte sapit?

Ad Archimedem.

Immanes radio solers & puluere moles
 Ducis,& ingenti pondere bella tonas.
Tun'Deus?es par penè Deo;qui puluere & vmbris
 Tantillo è nihilo fulmina tanta creas.

In Vesalij obitum

Qui medico in regno vitam inter & omina leti
 Herbipotente regit aurea sceptra manu,
Raptus abit.falx vnca rapit. falx inuida terris:
 Viuo Vesalio mors timet ipsa mori.

In Lipsij Admitanda.

Erue semirutas alto de puluere turres
 Roma,tibi Iusto vindice surget honos.
Te tumulo attollet, maior pater iste Quirino:
 Te nasci hic iussit, te vetat ille mori.

Idem.

Terris pulsa Themis cælo quærebat asylum,
 At cælum hic LipsI repperit in gremio.
Dat Iusto astrigeram (vt quid enim fert Scorpio?)
 Libram.
 An Iusto quisquam iustiùs astra ferat?

Homerus

Smyrna Iosque tuâ certant de stirpe, quis æqui
 Præses erit? Mors & vita sit æqua Themis.
Scribe. Quid? Alma parens Ios,sit Smyrna sepulchrum:
 Conderis in myrto,nasceris in violâ.

Anacreon vinosus.

Phidiaco volui Teïum defingere cælo,
 Vsque madens dubio sed labat ille pede.
Et Bacchus vox vna:tamen Bacchum inter & obbam
 Os sculpsi.errauit dextera,botrus erat.

P. Virgilius Maro.

Quà non te Publi Famæ tuba publicat orbi?
 Publica nónne tuus bibliotheca liber?
Sunt & Virgiliæ. tu sidere pulchrior omni
 Virgili,& eloquij tu mare dulce Maro.

Georgica eiusdem.

Grande sui speculum natura poposcit, in orbem
 Incidit ignotum:rura Maronis erant.
Repperi, ait, speculum; terram, mare, & æthera specto,
 Archetypo vultus pulchrior iste suo.

De Aeneide quam Auctor vri voluit.

Visa loqui natura: Struis, non pingis auitam
Troiam. Troiugenis Phœbus an alter eris?
Parce, ait, alt Phœbi quid rursum incendia spiras?
Vis cadat & Latio Troia bis vsta rogo?

Ouidius.

Qui tragico poteras soccos vestire cothurno,
Alternis tenuit clauda elegeia modis.
Quæ cæcum cæcâ cum Cypride quærit Amorem
Quàm benè non æquo claudicat illa pede.

Proba Falconia Poëtria.

Os, habitumque, manumque, vt vidit Suada, lyramque,
An Charis hîc, dixit, de tribus vna canit?
An potiùs tribus vna soror nunc addita? quadrum
Iam chorus agmē agit. tu Proba quarta Charis.

Iuliana Morella, Græcè, Latinè, & Hebraicè docta.

Lingua sonat Marcum, Graium sonat Aeschinis hostem,
Hebræoque fluunt balsama mista croco.
Quod genus hoc sexus? dictu mirabile, claudit
Tergeminos vno pectore virgo viros.

Liuia sublato per ficum Augusto, Tiberium Imperio admonet.

Ficus erat: ficus decerpis, dulcia leti
Pabula: prægustas: dos ea noxa viro.
Liuia es Augusto, sua quod fuit Eua marito.
Plus sapis: Eua perit, tu tibi sceptra paras.

Claudius Cæs. totus μωρὸς, id est, stultus.

Sis quidquid libuit Claudi; sis Cæsar, & ingens
Numen abi, aut si quis Numine maior honos.
Hoc tantùm voueo: morari desine terris.
Quantumuis properes, sidera serò petes.

Otho.

Mollis Otho, pluuio crinis cui stillat amomo,
Asperat imbelles in sua fata manus.
Sic Galbæ egregio placabit sanguine manes:
Sit Nero dum vixit, iam Cato fortis obit.

Roma, sublato Domitiano qui se Deum asseruit, sub Neruâ liberior.

Credideram è fuluo sæcla antè excusa metallo,
Pòst atro è ferro stamina dura sequi.
Nerua rotam inuertit. Saturni sæcula in auro

Nunc

Nunc agit vrbs; nuper sub Ione carcer erat.
M. Antoninus Philosophus, frangit Marcomanos Romano Imperio excidium mini tantes.
Bellonæ furias, clausúsque & frigidus ensis
Expulit: Ausonio pax sedet alma thoro.
Visa iterùm vrbs nasci quæ pænè sepulta ruinis.
Quod Romæ Aeneas, Marcus id Aeneadis.
Geta.
Roma iubet, cum fratre biceps iam diuide sceptrum.
Quamlibet ampla, duplex non capit vrbs solium.
Nec regnum in regno est. scindi res nescia sceptrum.
An geminum cingat vna corona caput?
In Heliogabalum, qui cùm voluerit coli vt Deus, post est abiectus in Tiberim.
Diuinos adolet cum thure Senatus honores,
Teque nouum pallet fumida Roma Iouem.
Nec sors læta diu; cælo migrabis in vndas,
Sic quoq; numen habes; pro Ioue Glaucus eris.
Maximinus Iunior cum patre impio casus.
Aut non debueras nasci, flos maxime florum,
Aut alio certè germine & imbre seri.
Mors pater ab nato est, ferus ille lanista Quiritũ,
Quã tua spina, pari tu rosa falce cadis.
Gordianus Iunior.
Vitæ tiro rudis vixi maturior annis:
Quos tu si numeres, ver breue vita facit.
Quid numeras annos? numera ad mea præmia morum
Canitiem, & dices, Quàm puer iste senex!
Decius Iunior.
Ingentes spondebat auo tener impetus annos,
Inuida falx æui rescidit orsa mei.
Illa cadunt, abij puer & breuis aduena terris,
Sed nata è puero gloria viuet anus.
Valerianus captus a Persis submittit caput loco scabelli Regi ascendenti in equum.
Fata triumphales vertere inuersa quadrigas,
Marspiter in præceps Martia castra trahit.
Sub Partho Cæsar supplex gemit: improba quantum
Gloria tu monstrum, cui caput ante pedes!
Numerianus de se.
Quid numeras annos? animi maturus & æui

Iam senui:in cano flore iuuenta viret.
Multa breui inclusi momento sæcla. senectam
Præuerti meritis:vita futura fuit.

Maximianus.

Infelix in probra decus, tibi purpura, tingi
Quo non debuerat sanguine,tincta rubet.
Non tam,crede mihi,Tyrio rubet ebria succo,
Quàm domini obscenum dedecus erubuit.

Constantinus de Maxentio triumphans.

Mille solo stellare faces vt Cynthia vidit,
Eximiumque inter præradiare ducem;
Cedite,ait,cælo,mea cedite sidera,pernox
Luna fugit; tenues,sol venit. ite faces.

Theodosius Maior.

Solue ratem , proramque fretis obuerte : secundi
Aspirant Zephyri,turba nec vlla salo est.
Vela dabit Fortuna,reget Prudentia clauum;
Altera fundet opes, altera spondet opem.

Gratianus.

Armat imago patris venturum in bella nepotem:
Teque adeò in primis cera dat ista facem.
Macte animo,priscos instaura victor honores,
Quæque atauûm fuerant,fac tua sæcla puer.

Seuerus.

Delibo imperium solio breuis hospes & ostro:
Ilicet euerso purpura scissa thoro.
Vix gaudî vrna stetit,cadit & fugit icta procellis:
Nunc Pandora tuo fel bibo triste cado.

Tiberius Secundus.

Templa sacris,vrbes populis,das arua colonis,
Arma viris,armis præmia,sacra Deo.
Quid tibi iam mundus,cui donas cuncta, reponet?
Quæ cælum his meritis debuit,astra dabit.

Heraclius, cauere aquas iussus, puteos obruit, hydrope interim perijt.

Occæcat puteos Cæsar:sapit.antè futuri
Conscius, & leti frigida stagna fugit.
Sed fugit incassùm. (quis enim sat cauerit Orcum?)
Si volet,in sicco puluere flumen erit.

Leo Philosophus.

Macte vir ille virûm, & laurũ præcerpe triũpho:
Plus tibi quàm Martis,Palladis hasta placet.
Militis est vicisse manu;sed vincere inermi
Consilio,magni Cæsaris istud opus.

Le-

Lotharius.

Circulus hic anni.ſeſe vno in Cæſare voluit
Ver,autumnus,hiems,æſtus,& vnus homo eſt?
Flos formæ,meriti ſeges aurea,fructus honoris
Purpureus,famæ cana ſenecta viret.

Fredericus Tertius annos quinquaginta tres regnat ſine bello.

Compoſitus,ſemperque tuus.curæ omnis & iræ
Exſors,curarum millia mille regis:
Pacis honos,primæ iam pridem oblita iuuētę eſt,
Quæ Frederice tuis canet oliua comis.

Xenophon

Viuit amor Sophiæ,viuit ſub pectore Mauors:
Apta manus telo, nec minùs apta ſtilo.
Hinc Sophia, hinc Mauors ſibi Pallados arrogat artes
Iure pari: hic bellat,altera bella canit.

Cocles.

Stat pendente viā ceu murus ahenus Etruſcos
In clypeos Cocles Martius Vrbis honos.
Quos alueo Tiberis toto non arcuit,arcet
Vnus homo toto maior an amne vir eſt?

Sicinius Dentatus.

Ferreus euerſo perſto agger in aggere.pectus
Ariete murali concute,murus erit.

Scipio exul ad Romam.

Mittis in exilium cui mittere blanda ſalutem
Debueras?tantum mater es auſa nefas?
Parce furens animi, non ſonti parce nepoti;
Et tibi parce parens,pars ego magna tui.

Sertorius ceruam inſtituit, quæ auribus ſuis coram populo inſuſurret quaſi Dianæ monita.

Effuge:ſciſſa labat ciuili Roma duello:
Pro Tiberi,Heſperio dilue tela Tago.
Tu Leo Callaïcis Sertori inuictus arenis.
Sed cui dux ceruus, numquid & ille leo?

Scæua.

Iam denſis clypei latè orbis inhorruit haſtis,
Aeratumque ſonat teliger vmbo nemus.
Pro ſcuto,neſcis,armamentaria quino
Fers digito:hîc haſtæ,geſa,faces,iacula.

Cæſar & Pompeius.

Tota ſibi laureta nepos decerpſit Iulî,
Et totidem lauri præmia Magnus habet.
Magni vt Iulæas concuſſit laurea lauros,

Heu mundi excidio quot dedit iſta faces!

Auguſtinus Barbarigo.

Non eſt quòd placeat ſibi Sparta, nec Attidos hoſpes,
Nomina in Aegæis ambitioſa fretis.
Si rurſum Ionio tumet ingens æquore Xerxes,
Alter & Eurybates, qui mare vincat, erit.

Artemiſia.

Pyramidas, templa, atque ingentia Mauſoléa
Molire auguſtâ cura ſuperba manu.
Pulchrius auguſto marmor ſtat pectore: vinâ
Hac vrnâ, extincti puluetis ardet amor.

XXX. *Deorum millia, ex Heſiodo.*

Scrofa parit cælo, quot quæſo hîc nomina Diuûm?
Mille dij? nugæ, millia dena? lyræ.
Dic ter dena, gemens tantâ ſub mole laborat,
Nec iam ferre potis monſtra tot vnus Atlas.

Sycophantes filium conſecrat.

Parca tulit gnatum, gnatum pater inſerit aſtris:
Iam Deus eſt: placat victima macta mero.
Id mors vt ſenſit, prorupit in æthera, & infit:
Me, quæ gigno Deos, quis vetet eſſe Deam?

Hercules.

Vt Nemees terror domuit fera monſtra leones,
Infractis humeris vellera opima tulit.
Magnanimum vt vidit fuſuâ ſub pelle nepotem
Iuppiter; An duplex hic leo, an vnus? ait.

Numus Deus.

Si Pauor, Ira, Furor, Pallor, Diſcordia, Febris,
Ganeo, Fur, Miles, Prædo, Cupido, Dij:
Sit Deus & Numus: cur nemo huic dedicat aram?
Vrbs, cælum & templum eſt, diuite plena Deo.

Dij Aegyptiorum.

Stellanti delubra ſtupes certantia templo
Cælituum, & fuluo tecta ſuperba tholo?
Maius ineſt monſtrum. Deus hîc canis, hircus, & anguis.
Monſtra Dij? hîc hominem quis neget eſſe pecus?

Leones ad currum Cybeles.

Magnanimos franget Cybele ad ſua frena leones?
Proh pudor! imbelli regia colla iugo?
Semiuiros inter leo? nec timuere minaci
Dente feram? gallos plus leo nónne tremit?

Cur

Cur Pacis templum citò exustum.

Seriùs Aeneadum Dea Pax aduenit in arces,
Vixque ingressa suas perdidit igne domos.
Fortè quòd huc fuerit postrema vocata Deorum,
Pacificè secum Pax coquere haud potuit.

Felicitati nusquam ara.

Flora, Quies, Pallor, Febris, Pauor occupat Vrbē,
Et Sors cæca sedet mille litanda sacris;
Et de tot nullus tibi fumus & angulus aris?
Quæ das cuncta Dijs, cur tibi templa negas?

Cepa numen.

Allia quot numerat Isis Nilotis in horto,
Tot peperit Nilo putida gleba Deos.
O sanctæ gentes, queis terra puerpera Diuûm!
Si sic numen olet Cepa, quid hortus erit?

Sacra obscæna.

Aethra tonat, placas infami numina sacro.
An decus hoc? Diuos fœdat adulter honos.
Irato potiùs malim te viuere cælo,
Quàm sic placato probra litare Ioui.

Ad Martis Sacerdotem.

Scinde miser pectus, sicâ concerpe lacertos,
Deque tuo liba sanguine triste merum.
Cruda ad sacra tuo placabis vulnere Martem.
Si Diuûm istud amor, sæua quid ira facit?

Icarus.

Icarus audaci mundi secat ardua pennâ;
Aërias Phœbus non sinit ire vias.
Fulminat, ille cadit, decus ô quàm nobile leti!
Sol cui pro telo, mors Deus, vrna salum.

Nireus.

Me mihi quis rapuit? vultum quis diuidit hostis?
An peperit Nireus Nirea? an vnda rapit?
Hîc vnum in gemino dic Nirea viuere Nireo;
Altera pars terris, altera viuit aquis.

Ad Palladium, qui viginti quatuor horis Byzantio in Syriam cucurrit.

Pænè pari cum sole fugis pede, & ocyor alâ
Pegaseâ, gemino voluis in orbe diem.
Eoo occasum bis sex qui iungis in horas,
Immensum imperium rus breue pænè facis.

Mors Fulconis, Regis Ierosolymorum mitissimi.

Densa Palæstinis ibant venabula campis;
Ante pedes leuipes emicat vmbra lepus.

Fulco

Fulco premit, fugit ille; cadit rex mitior agno.
An lupus iste lepus? heu malè perdit ouem!

Mors Aeschyli.

Tecta caduca fugis, puro stat viuere campo:
Sors si cæca velit, vrbs tibi campus erit.
Rure cadit testudo, domus cadit ardua conchæ.
Te necat ista domus, mors tibi vbique domi est.

Anacreon acino strangulatus.

Cautus aquam vitas, vitas mare, & humida leti
Flumina, vitantem mors tulit hausta mero.
Quid iuuat vndoso mortem vitare sepulchro,
Naufragium in terris si tibi & vua facit?

Impius in venatu occisus.

Inde Cupido iacit, iacit hinc Dictynna sagittas;
Ille thoro flammas, hæc parit arma feris.
Mors addit sua tela; sonat nemus alite ferro.
Tres te venantur; credo ter vna fera es.

Cur Tullio sectus iugulus.

Quæ Tullî ambrosijs insedit Suada labellis,
Vel ferream poterat flectere blanda necem.
Non flexit. vox blanda nigras ne fortè sorores
Dulcè trahat, rupit mors fera vocis iter.

Musca.

Fortè bibit muscam quis nescio fluminis hospes;
Illa hæsit arctis insidiosa vijs,
Et iugulat. tenuis quid spirat grandia puluis,
Si iam victa potis vincere musca viros?

Puer extinctus.

Depuber viridi florebat vere iuuentus:
Mors ferit, illa cadit, testula curta tegit.
Cur premis ah saxo? condi sub melle liquenti
Debuit ille fauo, flos cui vita fuit.

Mors pueri.

Deliciæ antè nepos, nunc, heu! seges aspra doloris:
Complorat viduo mœsta parens gremio.
Quas non ærumnas mors parturit ista parenti?
Aeterni luctus fit puer iste parens.

Mors nuptæ.

Limina cupressus ferali præstruit ymbrâ,
Funereasque animat taxus iniqua faces.
Malueram pinum, mors attulit improba taxum.
Quæ data tæda thoro, præda stat atra rogo.

Mors ad coniugem.

Aggere funestos damnati thuris aceruos,
Atque Arabum messes, Sicaniasque dapes;

Et

Et dic illacrymans busto, sine coniuge coniux:
Quæ cremat hoc corpus, cor coquit ara meum.

Coniux de coniuge & filio defunctis.

Nunc sub falce iacet nostri pars altera coniux,
Si non & maior mors sedet orba sinu.
Par cinis & gnatus: mea vulnera vulnerat alter
Iam dolor; & viuo, bis cui vita perit?

Valentiniano Imp.

Te iuuenem cecidisse querar, si metiar annos;
Sin vitæ numerem munia, flebo senem.

Ad mortem, de Pulcheriâ Augustâ.

Quo Sophia & Pietas, hoc & Pulcheria floret
De gremio, intacto virgo marita viro.
Et tantum tu Parca decus? quàm fallere demens!
Cælo it sidus, humi sideris vmbra iacet.

Theodosius Mauritij filius cæsus à Philippo.

Pubere de gemmâ ver flos texebat in auro;
Verna sed orsa rosæ cruda retexit hiems.
Quale decus ferro perit? ô mors inuida! florem
Cur sic falce metis? nónne sat vltrò perit?

Frederico Imp. qui natatu periit.

Ire lubet stagno, liquido insidiosa sepulchro
Mors latet; en vitreis se tibi prodit aquis.
Mors vbinam? quæres: non vsquam hîc tela nec arcus.
Arcus & arcitenens, si volet, amnis erit.

Balduino Imp.

Tu Graï orbis honos, fidæ pietatis imago,
Rex folio, obsequio frater, amore parens.
Et laceris mirer spargi tua funera membris?
Stare negant vno plura sepulchra loco.

Epitaphium Henrici Secundi.

Hîc situs est, quem non capit orbis & arduus æther.
Disce breui saxo sidera quanta iacent;
Et titulum lacrymis informi inscribe fauillæ:
Quæ rapit Henricum, mors magè digna rapi.

Priamo Phrygia.

Prodigium luctus Priamus lacrymabile ad aras
Occidit, Herceo nec litat ara Ioui.
Quærit inops bustum: patriæ fumante sepulchro
Tæda deest, ingens cui sua Troia rogus.

Alexandro Magno Epitaphium.

Cui non terra satis, saxi nunc vnius heres,
In cinere hoc leti saxea sæcla trahit.

I nunc ille, mari votum cui maius, ad vrnam
Metire hanc, quanti pulueris vrna fies.

Alphonso Aragonum Regi Italiæ.

Astra diu petiere, diu sed auara negauit
Terra parens; litem fata sequestra secant.
Aethra animam, terra ossa tenet; mihi restat imago.
Vno non-poterant tot bona stare loco.

Bruto primo Consuli.

Hostile aduerso rumpebas pectore pectus
Pugnaci in studio; par tulit hasta duos.
Plus vter hîc v ctor? neuter. quàm fallere demens!
Neuter vbi vincit, victor vterque redit.

Decio.

Hostis adest, hostem superirruis; ille fugaci
Cessit equo; incumbis quà iacet ille, cadis.
Victricem victis sic misces Manibus vmbram.
Vincere si vinci est, dic cui cedet honor?

Scipioni in Hispaniâ cæso.

Martius vrebat te pulchro in puluere sudor,
Laurigerum oppressit plumbea grando caput.
Sic cadere armorū ingenti strue, crede triumphum;
Ante necem Mauors clara sepulchra dedit.

Magno Pompeio orbis.

Europæ, Libyæque, Asiæque triumphus, arenā
In tenui, en Libycis ludus & error aquis.
Aura rapit, lauat vnda, solum tenet, ambedit ignis.
Quid super è Magno? Magnum & inane Nihil.

Carolo Audaci Epitaphium.

Hac qui tendis iter, non est mora longa, sepulto
Inijce ter glebam, cymbiaque vda mero;
Et dic: Austrasiæ tenui sub cespite, magno
In Carolo, quanta est, Belgica tota iacet.

Iolanta.

Quàm modico gyro violam breue circuit æuum,
Tam breue nunc annis ver Iolanta tuis.
Nempe tuum vt vidit, vultus quo purpurat, ostrū
Parca myops, violam credidit esse suam.

Ad M. Antonium de excisâ Ciceroni linguâ.

Vocis iter ferro nequidquam incidis. inane
Os animat viuâ fama canora tubâ.
Si sua facundis deest vox plectrumque querelis,
Pro Marco incipient rostra vel ipsa loqui.

Marsilio Ficino.

Sidera lustrabam. mors occupat. ibo sepulchro,
Persephones spolium? lætior astra sequar.

Nemo

Nemo tenax recti cadit. arduus ibo superbo
Nunc pede mensurus, quæ tulit astra caput.

Abr. Ortelio Epitaphium.

Hîc situs Ortelius. busti me fallit imago:
Qui iacet hîc, vmbræ vix leuis vmbra suæ.
Vin' nosse Ortelium? mundi decurre Theatrum.
Quantum opus est orbis, tantus & ille vir est.

Iusto Lipsio Epitaphium.

Quis lapis hic? bustum. quæ circum pompa? Camœnæ.
Quæ gemit hîc? Pietas. quæ comes? orba Fides.
Quæ pyra, & vnde? rogo it Sophiæ peritura supellex.
Quid tegit vrna? Nihil, sidera Iustus adit.

Ignauo viuenti.

Ver, æstas, autumnus, hiems dormitur; imago
Mortis iners. vitam nox, sopor, vmbra tenet.
Hîc quod agat nihil est cæci mors æmula somni,
Frater iners surdæ regna sororis habet.

Apis in succino.

Vt fuerit maius quo stas Mausole sepulchro,
Haud poteris tumulo nobiliore tegi.

Pater filio defuncto.

Gnatus abit, nostri pars maxima sidit in vrnam:
Me nigra sors cogis viuere dimidio.
Hoc & dimidium sæuo dolor eripit hamo.
Si totus perij, cur dare busta negas?

Filius parenti respondet.

Angustis animus nunc artibus ales in auras
Enatat, ac fractâ de rate liber abit:
Et tu tristè sonas fluctus ventosque doloris:
Cur mens, ah! portus sit tibi triste salum?

Pater ad filium defunctum.

Gnate, parentali cingam tua busta cupressu,
Quem decet halanti spargere flore thorum?
Siccine? florenti ver Atropos abscidit æuo,
Vt caderes Stygijs fructus acerbus aquis?

Puer ad parentem.

Florebam, viridem mors carpsit acerba iuuentã.
Parce parens. questu, mitis & illa venit.
Quid refert, cùm poma legis, num rapta procaci
Illa manu, an ramo deflua sponte cadant?

Filio mater.

Ibis in æternas, gelidus cinis ibis in vmbras?
Ibis inexpleto victima dira rogo?

Heu

Heu fortem inuisam! queis vreris, ignibus vror,
Gnate; tuus matri iam cinis ignis erit.

Filius respondet.

Parce parens gemitu, nec longo incumbe dolori,
Néve oculos vrat tristior aura tuos.
Maturus cecidi; senium flos iste iuuentæ:
Qui moritur, fato fit puer ille senex.

Pater filio mortuo.

Ergo oculos piceo mors opprimis inuida velo?
Et tumulo gnatus bruta fauilla iacet?
Heu! dum sic operit morientia lumina alumno,
Mors aperit lacrymis flumina bina meis.

Nulla saties in hac vitâ.

Laxo sinum, en pleno ruit agmine, & affluit ingẽs
Nimbus opum, an tanto flumine mersa sitis?
Plus lucri alluuie parto sitis ardet in auro.
Nil satis est; si das omnia, cuncta negas.

Nihil omnia.

Vita vale, è putri tu trama fragillima filo.
Fama vale, vitreo tu caua bulla mari.
Munde vale, picti tu ludicra imago theatri.
Quis nihilum hoc, animæ pignore, sanus emat?

Vix quid iucundi in vitâ.

Hîc nihil est niueo cur signes fata lapillo.
Nos premit æternâ nube sepulta dies.
Spem metus incursat, stant gaudia nexa dolori.
Mille cadi è lacrymis, gutta triparca meri est.

Formosa aspectus.

Nate Deo fuge tela, nigro fuge tincta veneno
Vulnera, & alatæ dulcia philtra necis.
Effuge, quæ roseâ promit mors tela pharetrâ;
Et dic: Hisce latent blanda venena rosis.

Cupiditas.

Scrinia fulua tument, & pectus anhelat inani
Vsque animo: æra pluunt altera, rursus hiat.
Altera & æra pluunt, rursum it sitis altera: & vsque
Nullus opum? in voto diuite viuis inops.

Aliud

Ora flagrant. saliente sitim restinguere riuo
Est animus? potâ plus sitis ignit aquâ.
Quid tali facias flammæ, cui flumen olluum?
An sibi pro gelidâ fax sitit ista facem?

Spes insatiabilis.

Argentum alter hiat, siccos sitit alter honores;
Neuter adeptus opes, neuter adoptat opem.

Fac

Fac reperiſſe. nouo ſtat vota retexere voto;
Quæ iam parta tenet, ſpes aliena facit.

Fides arcani infida.

Exoneras fidam, ſi quid iecur vrat, in aurem:
Cæce putas ſurdo verba repoſta penu.
Falleris. auritæ narras tua crimina famæ.
Quæ non ipſe premis verba, premenda tegam?

Quid in regno.

Miraris ſolium, miraris eburnea regum
Sceptra? ſedet ſceptris cura, dolor ſolio.
In trabeâ liuor, gemmâ timor, ira ſub auro,
Mors gladio, incluſo purpura ab igne rubet.

Quid honoris inſignia.

Purpura ſtat lateri dare pondus idonea vento?
Hinc tibi ventoſo pectora folle tument.
Sceptra lutum, folium Samiæ dos fulua figlinæ;
Gleba micans aurum, futile gemma gelu.

Fictus homo.

Pulchra licet magni te nominis vmbra colorat,
Et toga de caſto vellere pura tegit;
Nil agis. è trabeâ cordis pellucet imago;
In niueâ pares ater, vt antè, togâ,

Luxus.

Diruit hic montes, hic campos aggerit altis
Montibus; excluſis hic mare fraudat aquis.
Nauigat hic terras. res regia vertere mundum eſt.
Verſo etiam res eſt regia in orbe mori?

Salutatio aulica.

Manè ſalutantûm celſam ordo recurrit ad arcem,
Et cum ſole terit limina ficta ſalus.
Tam ſi ſis ſaluus, tibi quàm vouet aula ſalutem;
Salue cui dicat, iam puto, nullus eris.

In mercatores.

Inſtitor errat agris, ponto volat ocyor Euro,
Quà vocat ardentes aurea meta rotas.
Vt peperit, partis parcit: quænam iſta phreneſis?
Quærit inops, partas vt malè perdat opes.

Pocula cælata.

Mentoreos calices, doctique toreuma Myronis.
Quæque Corinthon olent pocula rara ſitis.
His ſine nil bibitur: caſſas ego lumine fauces
Credideram; ad cyathos nunc oculata gula eſt.

Cultus amœnior.

De digito radiat adamas, micat aure ſmaragdus;
Fulua catella manum, pectora torquis obit;

I Cerusſâ

Cerussâ stibioque genæ, frons picta pyropis,
Ora rosis; in te pars quota quæso tui est?

Coma fucus.

Albus cygnus eras: Lachesim vis fallere, cornum
Induis, & coruo mors quoque vultur erit.
Quid refert, piceum coruũ, an magè vultur olorem
Heluo furuus edat? par in vtroque gula est.

In calamistratum.

Cæsariem in crispo calamister adulterat igni,
Tortile crinali ludat vt angue caput.
Quàm coma ficta tibi est, tam mens & ficta: tot angues
Ab capite in pectus transfer, vt hydra fies.

Fucus capilli.

Tinge, retinge comas, non falles cõptule Parcam;
Vulpe omni vulpes vafriùs illa sapit.
Te vetulæ prodent rugæ, capitisque pruinæ.
Viue senex iuuenem, mors tibi nubet anus.

Stibium.

Nil hîc specto tuum: de pyxide totus, & vdo
De stibio mendax totus imago viri es.
Si caput infidum, quis fida hîc pectora speret?
Mens stat ficta dolis, vt gena picta rosis.

In mulierem inauribus oneratam.

Gemmat ab aure lapis. miror: nil mollius imâ
Auriculâ; & forti vulnere saxa gerit?
Quin gerit & fundos. quid? prædia tota vel vnâ
Aure gerit mulier. maior Atlante vir est.

Versicolor amictus.

Nunc toga ver mentita viret, nunc æmula cælo,
Nunc ridet calthæ concolor aut violæ?
Qui color est trabeis, idem est & pectore. qui tot
Induitur vultus, dic mihi an vnus homo est?

Toga picta.

Pinxit acu Babylon florentes murice vestes,
Perpetuumque tibi ver sine vere ferit.
Pro trabeâ vin' flore tegi? quid prodigis aurum?
Hortulus id gratis vel sine veste dabit.

Purpura acu picta.

Textilis auratas animat pictura lacernas,
Et poto conchæ sanguine læna rubet.
Dic mihi, plus ostro glaciem defendis & imbrem,
Quàm quæ natiuo vellere candet ouis?

Secta serica.

Altera sublucet lacerâ sub sindone sindon;

Byssus

Byssus enim byssum vestit; & vna toga est?
Dic nullam geminam perdis sub forcipe vestem.
Carpitur hæc ferro saucia, & ista latet.

Pellucida vestis.

Et nebulâ & vitreo peplo mentiris amictum.
Visa tegi, nusquam corpus inane tegis.
Pectus vti nudas, sic cor. pellucet aperto
Pectore imago lupæ, veste vbi vestis eget.

Vestis pellucens.

Vis latus infido prodat toga vitrea textu,
Et pretio insano textile frigus emis.
Risimus. & cur non? rarum si stamen honori,
Indue arachnéas retia rara plagas.

Vestis conscissa.

Quos specto hîc oculos? sindon oculatior Argo est.
Transpicio sectâ pectora nuda togâ.
Arte priùs scindis, scindi quàm cœperit vsu.
Vt sit pulchra, tibi vis toga nulla fiet.

Byssus.

Quid placet in bysso? stamen teres? istud Arachnes.
Rara, an texta? gelu te grauis vret hiems.
An leue pondus, & vmbra? tegit sine tegmine pectus.
Quid monstri hoc? tecto corpore nuda pates.

Vestis serica.

Quidquid alit prægnans folio de pubere bombyx,
Pisæóve ferit Elis amœna solo,
Induis, ah! tenui transmittis frigora velo.
Nónne togam vt quæras te toga rara tegit?

Altus cothurnus.

Sublimi ingreditur persona superba theatro:
Pumilo dimidio, dimidioque gigas.
Pæne giganta putes, si spectes alta cothurni;
Sin corpus, curto stat pede pumilio.

Deliciæ.

Pestemque, horribilemque famem, bellique furores,
Deliciæ molles aspera noxa ferunt.
Deliciæ? ô cæcas mentes! quis crederet vmquam
Subnasci teneris ferrea tela rosis?

Risus dolori miscetur.

Sparge iocos, sere serta, dapes strue, tingere nardo,
Lude vitro Bacchi prælia, volue choros:
Carnifices appono thoro: circumstat Iacchum
Hinc fax, inde dolor: certam epulare necem.

Dapes vndique.

Frondea regna plagis, mare retibus, aëra pennis
Occupat hamatæ ganea auara gulæ.
Nec modicam exſatiant tellus, mare, & æthra lacunam.
Quàm breue quid mundus, ſi gula maior hiat?

Mullus vino immoriens mirè variegatus oculos paſcit.

Ite gulæ proceres, mulli morientis amœnas
Exequias inter gandia mille natant.
Picta garo leti paſcet vos diſcolor iris.
Num gula habet oculos? cur noua cœna color?

Ad Pincernam.

Cymbia purpureo mors nauigat aurea ſtagno,
Perſpicuoque abdit ſpicula furua mero:
Et tu ſollicito prægustas fata labello?
Vt Domino viuas, vin' tibi ſponte mori?

Terra ad glaciei potorem.

Quid gula non auſit? glacies en miſta Lyæo,
Supplicium terræ, non tibi delicium?
Non ſatis eſt magnæ matris potare cruorem?
Cur bibis & lacrymas vitrea vincla meas?

E vino damna.

Nubila lippa, febris, tabes, mors, calculus, hydrops,
Vectigal Bromij, & fæx ſcelerata meri.
Perfide quàm dulci fallis nos Bacche veneno!
Quos alis vt viuant, cogis alendo mori.

Cithara canor.

Fila canora tremunt, digitoque animata loquendi
Dulce canunt: criſpo pectine mella fluunt.
Magnus honos! an non ars cedro digna vel auro,
Si mens extremis exulat in digitis?

Odores.

Paſtillos, violas, nardi cum puluere anhelo
Ebria odore bibit naris, & haurit opes.
Luxus edax populator opum ſic decoquit aurum.
Scis quidnam hæc redolent cinnama? pauperiem.

Oderamenta.

Ore crocus, labro maſtix, opobalſama collo,
Serta comis, halant cinnama odora manu.
Quid dicam? hîc vnctum veſpillo cerne cadauer.
Nil hominis viuit, cui niſi ſpirat odor?

Adul-

Adulter pudorem simulans.

Viuit in ore pudor? iecur ambedit ardor ab oreo;
  Aegysthus castâ fronte agit Hippolytum.
Antè nocens pulcrâ bis peccat imagine adulter,
  Cui quoque & ipse pudor leno pudicitiæ.

Noxa ex illecebris.

Lude puer vitreo mundíve orcíve theatro;
  Lude, cades furuo victima pulla rogo.
Sæuæ deliciæ, tormentum dulce voluptas,
  Dira fluent sertis toxica, flamma mero.

Morbi è delicijs.

Quot violæ pratis, fœtâ quot in arbore flores,
  Litore quot conchæ, quot tibi paruæ nuces;
Tot crudo senio sors fœnerat aspera luctus.
  Spinea de blandis hæc seges vna rosis.

In vitia publica.

Fasque nefasque inter, limes iam nullus honesti,
  Quisque nocens, sese iudice nemo reus.
Lex scelus. vsque adeò nunc versi in crimina mores!
  Pænè sub humano pectore nullus homo est.

Excusatio.

Quisque suo mendax prætexit splenia vultu:
  Alter in alterius nomine crimen alit.
Nec quisquam sceleri caput est. res mira nocentes!
  Noxam turba nocet plurima, nemo nocens.

Metus conscientiæ.

Arcanos irrumpe specus, caput abde latebris
  Inuisum, horrifico mens cui vincta metu:
Haud tamen abscondes, clauso scelus emicat antro.
  Nocte vbi noxa latet, mens sibi luna domi.

Aliud.

Falle latens, cæcum nox incubat anxia pectus,
  Luctificamque quatit conscia cura facem:
Atque vbi mors non est, mortis vadimonia sistit.
  Supplicium est sceleri, triste patrasse scelus.

Punctum honoris.

Te simul ac vidi, cœpi nescire quid esses,
  Tota teres punctum gloria, tota nihil.
Pars tamen hæc, quotacumque fuat, totum impulit orbem.
  Quid monstri hoc? punctum vertet inane globum?

Ambitus.

Fama parit famam, laurus ferit adsita laurum;
Crescit honos, itidem crescit honoris amor.
Spem spes accendit? de famâ it flamma medullis.
Clariùs vt pereas, fama dat aucta faces.

Animus improbus in splendidâ veste.

Beryllo digitus, caput ardet iaspide & auro,
Oebalio ridet lana bis vda cado.
Non par lux animo, cui fœdi in pectore amores.
Sordes, non radias: purpura plena luto est.

Iactans opes.

Nil sonat in loculis, non auri hîc vlla nec æris
Vmbra, nec argenti bractea curta micat:
Et tumido Crœsum spiras pulmone. quid istud
Est monstri? os Crœsi Codrus inanis habet.

Iactans nobilitatem.

Semineces ceras, atros sub imagine fumos,
Intonsosque sonas pectora trunca duces.
Si vetus ordo patrum, & cineres dant stemma nepoti;
Queis auus vnus auûm est, iam sumus ergo pares.

Odium ex amore.

Rupta cadunt sacra vincla, graues dissultat in iras
Pax, modò concordi tam benè vincta manu.
Heu, vbi tuta fides? sæuo si vertitur œstro
Gratia; & ipse sibi discolor odit amor?

Fugiendi inuidi.

Liuor ouans damnis, cæco præcordia fluctu
Versat, & horrificis asperat ora minis.
Aeolus ore fremit, Neptunus pectore spumat:
Et sperem hîc velis vota serena meis?

In calumniatorem.

Discordi viuis studia in contraria voto,
Velle meum vt non vis, sic volo nolle tuum.
Tingo verba fauo; vomis ebria tela veneno.
Vis dicam, innocuæ noxia es aspis api.

Calumnia conturbat sapientem.

Fama palatinas circumerrat & allatrat aures,
Et maculat nigris pectora inusta notis.
Tu ne temne, licet puro de pectore fictum
Crimen abest, ficti criminis vmbra manet.

Inuidia rabies.

Cor liuor lacerat ardente tenaciùs hamo:
Supplicium sceleris fit sibi triste scelus.

Et

Et patitur viuus quidquid passurus Auernò.
Quis furor hic, orco velle bis vltrò frui?

Ad vltionis cupidum.

Ictus es opprobrio; longæ trahis orsa querelæ,
In simul vltrices stringis ad arma manus.
Vindice sub ferro cadit hostis, adorea surgit.
Quid? tuus alterius vulnere manat honos?

Aliud.

Nescio num pupugi, pupugi tamen: vlcerat ardens
Te dolor, ab diro vulnere quæris opem.
Parcere te malim. quisquis nocet, vltima noxæ est
Pars sibi. in auctorem scorpius ira redit.

Aurum effodiens.

Itur in ima piæ præcordia matris, vt aurum
Euoluat stygio fossor abusque lacu.
Vitæ suasit amor: furor est amor iste sepulchri.
Viuere an hoc? viuos est sepelire solo.

Ad fœneratorem.

Menstruus æripedi currit pede nummus ad orcum,
Quaque ruit, prono turbine raptat herum.
Qui tibi sic omni vis luce recurrere lunas,
Iustitiæ ad solem semper eclipsin ages.

Ad ebriosum.

Te cornu incursat Bacchus, petulante sub ictu
Mens fugit hausta mero, pes fugit, ora natant.
Et magè quod miror, mœsto illacrymaris Iaccho.
O pietas! læsæ vitis & istud habes.

Furor ebrij.

Finditur in venas Bacchi vis ignea; Martis
Itur in ausa, truci cornua fronte tument.
Quid tibi vis blandi pincerna Lyæe furoris?
Lætitiæ in regno cur tua cura dolor?

Haustus iusto maior.

Cogis vt æquali tecum deprælier haustu.
Qui grauis obba mero es, vis ego & obba fiem?
Ni facio, obuertis fera cornua: rumpor Iaccho.
Me miserum! in vino nonne venena bibam?

Oculus impudicus.

Fax petulans oculus, casti leno ille pudoris.
Duc ô virgo tuis flammea casta genis.
Ni facis, ah perdis florem, & cum flore iuuentam.
Tantula pars totum cur tibi virgo rapit?

Adultera castitatem simulans.

Fronte tenus tu casta: latet, latet anguis amœnâ
Sub violâ. gremio est cælibe nupta Venus.

Furta teges vteri? non rectè crimina celas,
Quæ vel adhuc infans it sine voce loqui.

In compitulam.

Quæ nunc bella nites Ledæo tincta veneno,
Te nigra rugosam vespera reddet anum.
Quid nox vna facit? senium maturat, & orcum,
Deque Helene, informi sorte parit Hecubam.

De otio, ad puerum.

Mi puer imbelli vitam ne falle veterno,
Aut plumâ in tumulum vita sepulta cadet.
Viuere, crede mihi, est res seria, nescia ludi;
Cui via tota labor, meta suprema dolor.

Senex decoctor.

Delicias inter qui pubere vixit in æuo,
Nunc breue in herbosâ lance ligurit olus.

Garrulitas.

Parue sapis? ne prome graues de pectore curas,
Et preme cor tutum: mens benè clausa penu.
Effluis, arcanos vox publicat auia sensus.
Vulgi census erit mens tua, non tua mens.

Senex vitæ inhians.

Plurima luna rotas iam fregit, & ostia spectas,
Inque caput leti candida ningit hiems.
Et tibi adhuc seros cras cras spes crocitat annos?
Vin' fieri coruus, qui modò cygnus eras?

Ex opibus morum asperitas.

Dum staret tenui paupertas fulta tigillo,
Molle tibi pectus ceu niue finxit amor.
Nunc tu durus homo es, gremio vt pluit aureus imber.
Num cor ex auro? dura metalla facit.

Augens patrimonium.

Res cui curta domi, nunc cuncta beatulus auges;
Iam domus aucta domo, nunc ager auctus agro.
Credideram cæcam; nónne est strabo diuite ab auro.
Fors fortuna? domi iam dupla cuncta videt.

In furem incautum.

Quamlibet in prædam furaces inijcis hamos:
Quin imò & laqueos in tua colla trahis.
Vsque adeò lucri te tangit dira cupido,
Ipse tuam vt vitam fur tibi surripias.

Improbo diuiti.

Te lapis Indus habet, candent tibi diuitis algæ
Gemmina, & auriferæ fulgor Iberus aquæ.

Cuncta aurum, mores ducis peiore metallo.
Saturni atque Iouis sæcula solus agis.

Nobilis parasitus.

Tu cui patriciâ tradux ab imagine nomen,
Sceptra palatinus lambis eburna canis?
Exprime, si quis fronte pudor: vel si qua pudori
Gutta rubet. sed cur abs caue posco rosas?

De comptulâ.

Miraris nitidasque manus vultumque bigemmem,
Stellantesque oculos, puniceasque genas,
Aureolamque comam, & queis gemmat imago smaragdos?
Est magè quod mirer, nil habet archetypum.

Ad cerussatam.

Tu quæ tota nites de pixide imago theatri,
Tincta comas auro, tincta genas stibio,
Pone manu speculum: quò te plus cernis in illo,
Quò minùs hîc spectas, quæ tua forma fiet.

Ad fucantem capillos.

Quid cani meruere, color quos alter Auerni
Damnat? an innocuum te pudet esse senem?
Canicies nescis flos seri argenteus æui.
Si pudor est senij, quis tibi mortis erit?

Ad Regem cantorem.

In trabeâ & sceptro curæ tibi plectra Choragi,
Facundâque animas garrula fila manu.
Grande decus! Rex magnus agit Citharœdus in ostro.
Rex benè vis plectro ludere: lude malè.

Senex garrulus.

Mirer, an indigner? quem vinxit tarda senectus,
Præcipiti voluit concita verba pede.
Numquid eò ruptis vis currat lingua catenis,
Quò vetat ire pigros clauda senecta pedes?

Ad instabilem.

Aequor vt alterno rapit aura volubilis æstu,
Incerto genio speque metuque labas.
Quid facis in terris mens cui natat æmula ponto?
Curre mari, & fluctus fluctibus alter eris.

Inops Astronomus.

Astrologus flaui cui nil allucet in arcâ,
Solis deliquium certa per astra notat.
Crede mihi, ille foris bubo, tam lynceus, errat
Talpa domi, hîc cæcam semper eclipsin agit.

Ad Astrologum istum à capro.

Sidera rimantem cornu caper arietat vnco,
Et fati incertum subruit Astrologum.
Hic nescis quid agat frater cornutus; & alto
Transpicias cælo quà Capricornus eat?

Anxius in somno.

Dormis, an vigilas? curas an somnia fingis?
Agmina te terrent hostica, & hostis abest.
Te fugis, & sequeris. pernox tibi tute periclum es.
Si vigilans dormis, dic vbi somnus erit?

Vita inhians.

Sanguis hebet, niueis caput albicat omne pruinis,
Perpetuoque hiemat vita senecta gelu,
Et spe secla trahis. Frenum voto iniice & æuo.
Viuere cur properas cui properare mori est?

In Zenonem Imp.

Impia discordi stringi vis vincula nodo:
Quis furor hic? rumpis fœdera pacta Deo.
Prælia que accendis dum scribis perfide pacem.
Vna dolo peccat litera, scribe facem.

In Alexandrum.

Gloria longinquis terras emensa triumphis,
Barbarico tandem constitit Oceano.
Porrò tamen pergis, quà stat mare terminus orbis.
Quod meta est terris, id tibi carcer erit?

Ad Alexandrum.

Quid ploras ô magne puer; vincendus ab isto
Alter adhuc orbis restat, & alter honos.
Te iam vince potens animi, qui cetera vincis,
Et dic. Bis mundum vicero. Mundus homo.

M. Luculłus solus opiparè cœnans.

Hic arua, ille lacus, populat nemus alter & hortos,
Mille terunt serui limina, mille coci.
Cum Ioue credo Deos expectat Marcus olympo.
Fallere. cœnabit cochlea sola domi.

In Maximum Thracem helluonem gigantêâ specie.

Quid cerno hîc hominis? statua an veruecea, an altâ
Mole gigas, nostros accubat ante thoros?
Sit quidquid lubet, ille dapum est mihi visa Charybdis.
Quid facit in terris? merge Charybdin aquis.

Ad Sardanapalum.

Diu mentita virum seu sceptra Semiramis armis
Durat, & heroo pectore bella gerit.

Tu

Tu contrà, imbelli è solio fers pensa Mineruæ.
Verte vices.tu vir femina, & illa vir est.

Annibali.

Aspera te tutis belli sors durat in armis.
Vicisti. imbellis luxus in arma fluit.
Laurea plus nocuit quàm lancea nata labori.
Hæc clypeum,in clades tela dat illa tuas.

Monyme Mithridatis uxor, qua eo victo se suspēdio enecat, rupto semel ac iterùm diademate.

Prompta mori Monyme textum diadema lapillis
Induit in nodum,triste pependit onus.
Rumpitur. illa cadit, vitam quæ perfida fallit
Fascia,debuerat fallere nolle necem.

Canis cadis vindex.

Cæsus herus. scelus abdit humus;sed sidera testes.
I canis, i cæso ter pius vltor hero.
Is vltum,terris quid agis canis arbiter æqui?
Astrææ ante pedes digniùs astra coles.

Cadis vltio. Mauritius ad Phocam.

Sceptra per euersumque thronum fractasque secures,
Bustaque, & ossa ducum, iam strue ad alta gradum.
Par struit iniusto è solio tibi noxa sepulchrum:
Phoca meo nescis funere inesse tuum?

Lacryma pœnitentis.

Cor cælo aduerto; radius ferit,vritur illo.
Qui iecur arsurum temperet,imber erit.
Temperet?vrit aquis,& habent incendia lymphæ.
Quis nescit?pluuiâ fulmina nube micant.

Lacryma.

Ignis pectus edit,ruptis salit imber ocellis;
Inque sinum è lacrymis ignea gutta cadit.
Ne qua nocens fœdo fax aut fæx corde residat,
Lustrat aquis,igni pectora lustrat amor.

Humilitas.

Nolo caput cingat gemmanti fascia vittâ,
Aut oculo signet diuite gemma manum.
Gemma gelu,diadema cinis, flos perfidus ostrum;
Qui negat ornari,pulchriùs ornat honos.

Amoris & compassionis lacryma.

Dulcis amor dulci fluit vbere,& imbuit vdas
Dulcè genas,omni dulcior illo fauo.
Vt miserum aspexit, fletu ilicet vndat amaro.
Quàm dispar fonti riuulus ille suo!

Oppro-

Opprobrij contemptus.

Sannio tela iacit, probrisque aduerberat aures?
Vrere mordaci te sale volo iecur.
Perfer & obdura, clypeus se vertet in arcum.
Vnde gemant hostes, tela ferendo iacis.

Eleëmosyna.

Paupere conde sinu, terris quod defodis aurum,
Et tibi de cælo fœnora certa leges.
Par astris auroque color, par auctor & heres:
Aurea nunc terris quæ seris astra, metes.

Manus pauperis.

Ista manus cæli thesaurus & arca Tonantis.
Si sapis, huc largas imple diues opes.
Siccus abis, retinensque tui, miser Euclio censum,
Quem teneas dando, tu tibi habendo rapis.

Pudor.

Astra genis tranquilla micant, tibi pictor honesti
Purpureus vitreo lucet in ore pudor;
Ingenuasque bibit nix frontis eburnea flammas:
Virgo tibi gratis purpura honora rubet.

Studium sibi fructus.

Lude manu, radiumque rudi duc paruule cerâ;
Hic Sophiæ campus, vomis eburnus eat.
Lætus ara, sere lætus. honos labor ipse colono.
Altera quid speras præmia? arando metis.

Salus & mors æterna.

Cernis vt angusto via diuidat arbitra sulco
Hinc cælum, inde atro Tænara mersa lacu.
Et dic, Quàm tenui leti discrimine & æui
Momento æternum fœnerat hora diem!

Quid Lucifer.

Phosphore tu fuluæ dux aureus ille choreæ,
Phosphore Phœbeis præuia tæda rotis.
Si specto quà manè rubes sol paruus Eoo;
Sin vbi serò redis, altera Luna micas.

Quid lilium.

Lilia si qua cano ver tornat eburna quasillo,
Vermiculatque auro dædala Flora suo:
Attigeris; mora nulla fluent: quod nobile croûm
Veris ebur, vernam lilia crede niuem.

Horologium solare & clepsydra cui par.

Quas cælo irradians Titan enuntiat horas,
Nubila in innubi diuidit vmbra die;
Aut lentâ elacrymans distillat clepsydra guttâ.
Hæc oculi, illa nigrans cordis imago mei.

Cui par vita.

Fons bibulos liquido fugit & secat agmine campos;
Sed tu de molli sterne thorum violâ.
Et dic, Vita rosæ, profugoque simillima riuo:
Hic fugit, illa cadit; hic fluor, illa nihil.

Vnio : Lacryma.

Vnio cur dicor? numquam sine fratre parentis
Ludo sinu, it mecum gemmea turba nepos.
Sed quid ego infelix fraternum diuido nomen,
Vnio? tot fratres vnicus vnit amor.

Clepsydra : Mortis memoria.

Nympha fugax vitreo quæ carcere plorat, & horas
Temperat alternis irrequieta moris,
Nolo putes lympham. dic, Limpida mortis imago es.
Hanc specta, & vinces Styx quibus ardet aquas.

Aranea : Cura inanis.

Apta capi ingentes meditatur aranea telas,
Quo sibi magnus emat pabula parca labor.
Vsque adeò viles in curas prodigit ævum:
Nil vt agat, textrix sedula semper agit.

In Pauonem.

Gemmea credo tuas excussit scrinia in alas
India, tot luces discolor aura facit.
Hîc astri genus omne micat. vin' cetera spectem?
Tot maculas gemmas? crus tibi nónne lutum?

Apis in rosâ.

Aureus vmbo rosæ sibi adhamat & vrit ocellos:
Carpo manu, & pictis oscula libo genis.
O ego non prudens! apis emicat hospes, & hostem
Incautum pupugit. hei mihi, spina rosa est.

Balæna : Tyrannis.

Oceanum & queruli piscosa peculia Nerei
Haurit, & hausta auido funerat orca specu:
Et Neptune tuos tu cete credis alumnos?
Dic potiùs populi viua sepulchra tui.

Quercus erosa à tineis.

Quæ tango aërio caua nubila vertice, surdo
Me senij oblimat dente maligna dies.
Arbore quid maius, tineæ quid inanius armis?
Et tamen hæc summas tantula vertit opes.

Formica.

Nos tenues animæ, tenues sine corpore vitæ;
Queis tamen in prædam messis & arbor abit:

Et

Et breue nos animal gens perdere nata cupressos.
Formicæ in guttâ dic elephanta tegi.

Luxuries depectenda in segete.

Luxuriē tenerā preme cautus& opprime in herbâ:
Crescit enim damnis ambitiosa suis.
Si benè pexa Ceres, comptus ridebit agellus.
Qui minuit, auget falx quod adunca metet.

Camelus.

Quà secat illimi liquidus fons gramina riuo,
Turbat inoffensum bellua gibba vadum.
Poculaque obscœno ducit iam turbida limo:
Imò lutum opsonat, dum malè potat aquas.

Luna nauus.

Sæpè togam muto, lauo sæpiùs æquore vultum,
Mundula vbi mundo nubere pergo proco.
Millenis licet erro fretis, mille esto lauacris
Mersa siem: næuus semper in ore sedet.

Ventus.

Vino nec viuo, spiro nec spiro, nec vllo
Dego loco, ac omni; nusquam & vbique domi.
Vita fugit cursim. pretium quod quæso labori?
Quæve meā in metā palma? repentè mori.

Flumen mare influens.

Vitreus ille soli metator & arbiter aruis,
In pontum profugis abnatat exul aquis.
Oceanumque bibit. fors quàm citò versa fluento?
Quam modò restinxit, nunc parit vnda sitim.

Lima: Liuor. Ad Zoilum.

Vipereo inuisos oblimas dente cothurnos,
Quæque Sophocléo syrmate diua tumet.
Inuide rode. aspro quod lima terenda metallo,
Id mihi dens; damnis emolo dona tuis.

Spina & rosa: Virtus & honor.

Armat spina rosam, fidis rosa militat armis:
Spina minax telum, dat rosa serta comis.
Pace vigens belloque: ferit sua prælia virtus;
Vnde sibi felix præmia carpit honos.

Vnio: Fraternus Amor.

Enodis bifori progeminat vnio conchâ,
Vnio Erythræo dos opulenta mari:
Vnio, litoris næuus cui nullus; at vnus
Tot fratrum in turbâ candor, & vnus honor.

Capra: Mutuum obsequium.

Capra pari cedit: tu ni par cedis amico,
Cede capræ barbam (plus sapit illa) tuam.

Leana;

Leana: In liberos charitas.

Tela micant, tuba rauca sonat, volat hasta per auras,
Vrget eques ferro velite? carpe fugam.
Stat ruere in ferrum, & tutari pignora leto.
Tantus amor gnati, bis lea pænè parit.

Columba ad aquas: Prouidentia.

Aucupis aligeri pallens, vncæque rapinæ,
Assidet illimes Chaonis ales aquas.
Hîc bibit, hîc ludit. sic seriò luditur hostis,
Quà comes vmbroso prænatat vmbra vado.

Adamas in igne.

Nil tepidâ hîc Zephyri pennâ, nil solis adulti
Mansuescit radijs: dura perennat hiems.
Et medijs hiemans glacies stat gemmea flammis:
Vno æstas, vno bruma stat aspra rogo.

Lilium.

Ne tactu viola; flos hic dos nescia tangi:
Neu petulans pandis oscula carpe labris;
Sit satis ore legi, vapido quod spiro labello:
Istud, auara licet, sat sibi credit apis.

Echo: Modestia.

Virgo fui: Lachesis vocales vertit in auras.
Nunc habito arguto garrula mima specu.
Garrula? quàm fallor? linguæ quis parcior heres?
Non nisi iusta queror, cui pudor vltrò loqui est.

Imber: Lacryma.

Illacrymat cælum, siccas rigat imber arenas,
Altilis irriguo pullulat herba solo;
Deque pijs lacrymis surgit seges aurea, tristi
Nube dolor, pulchro gaudia flore pluent.

Aquila cum Phœnice certamen.

O nimiùm felix præpes, cui solis ab igni
Nata salus leti puluere cinnameo!
Et tu plus felix oculis audacibus ales,
Cui vitam & gnatos sol, sine morte parit.

Coralium cum rosâ collatum.

Germen aquæ vt purum videre roseta corallum,
Victa verecundis erubuere genis.
Alma suo Natura rosas antè induit ostro,
Nunc veniet victis altera causa pudor.

Apis ad elephantem.

Me parcâ natura manu distillat, vt aurum;
Te stare immensâ prodiga mole dedit.

Tu

Tu iacta ingentes ingenti corpore vires,
Aureâ at in gemmâ nobile viuo decus.

Apis & formica.

Triticeos domini populat formica labores;
Mel sibi, munus hero dulce laborat apis.
Plus hîc vtra sapit? rapit altera, & altera donat:
Iustior hæc, condit cautior illa penu.

Bombyx cum araneâ.

Vt soror atra parit, sic fœto in retia partu
Euoluo in tenues viscera nenda plagas.
Par opus hîc, non par operi decus. implico Reges
Purpureos; fuscas vix capit illa feras.

Varia cum vitâ comparantur.

Vita ratis, telum, præpes, rota rapta quadrigis.
Aggere stat telum, litore fessa ratis.
Sistit præpes iter, sistit rota conscia metæ:
At via vita viæ nescia, tota fuga est.

Mors cum amore confertur.

Mors & amor par triste, pares iunxere sagittas;
Cæcus vterque, pari nudus vterque dolo.
Neuter amans auri, graue nomen vterque doloris,
Par & vterque scelus. numquid amare mori?

Virtus cum honore.

Par virtus, par munus honos: ambo astra capessunt.
Par vtrique comes liuor & ara litat.
Quos sacra sic iungunt, via diuidit inuia: virtus
Quem fugit, inuitum vult honor vltrò sequi.

Ad consulentem speculum.

Ignotam exploras speculo censore figuram?
Vox sine voce vitrum, Γνῶθι σεαυτὸν, ait.

Vitis alligatur palo.

Cirratis euincta comis, implexa flagellis,
Nexa iugo, agnatâ de cruce sæcla traho.
Hoc Bacchi pretium? merui suspendia & isthæc
Vincula, quæ vinclis pectora soluo suis?

Vitis vincta vlmo.

Vitis vt æquæuæ sua brachia nexuit vlmo,
Dum properat ramis altior ire suis,
Hæret amans, miscetque nemus, prinosque racemos:
Vt quas ferre nequit, iam ferat arbor opes.

Cur vitis scandit.

Autumni in regno aërios meditatur honores
Vinea, purpureis ambitiosa botris.

Quidni

Quidni frondicomas vincat generosa sorores,
Quæ domat & Reges prole racemiferâ.

Ad vineam.

Et cadis, & serpis claudo pede vincta lacertos,
Sobria adhuc puras dum bibis imbris aquas.
Tam malè si titubas abstemia, mater Iacchi;
Quo pede consistes, iam benè pota mero?

Cur vitis flexuosa.

Anguipedi è trunco, anguigero pede concolor angui
Anguineum palmes serpit, & errat iter.
Nec frustrà, anguigenâ sub imagine ludit Iacchus,
Cui circo anguicomo vina venena serunt.

Vitis germina.

Vt pictum rapidis Zephyrus ver attulit alis,
Gemma oculis turget lactea pampineis.
Nodus erat, nodo protrudo impubere florem,
Flore botrum. Proteu cetera verte mero.

Ad vineam quæ vino affuso perit.

Tun' natum scelerata tuum Medea Lyæum?
Plus furis absque mero. maior id ebrietas.

Cur Bacchus vacillet.

Obliquos rugosa parens decurrit in artus,
Et cælo obliquo currit in orbe pater.
Sol & mater anus si curuo it limite, vitis
Filius incuruo cur neget ire pede?

Bacchus cur dolosus luctator.

Membra dolo vexat solers luctator Iacchus:
Dum caput assultat, subruit arte pedes.
Hos docuit nexus luctantem mater alumnum:
Nectitur illa pedes, nectitur illa caput.

Tumultus è vino.

Est ego quod mirer. vis cur tam turbida Bacchi?
Id docet vua parens? tota modesta rubet.

Cur cornua Baccho.

Antè cicur Semeles pullus; nunc cornua lunat,
Et furit, vt miti contigit ora botro.
Arietat hos illos obnixo in prælia cornu;
Id Bacchus didicit ab patre; Taurus erat.

Quæstio ad ebrium.

Insano vt Bacchi thyrsus te perculit œstro,
Claudicat ingenium, mens fugit vda mero:
Balba natat vox, ossa tremor quatit, excidis amens.
An sæclum vna dies? te facit hora senem.

Cur Sol in Indiâ oritur?

Ad Indum.

Vt Sol Oceano natali emersit in auras,
Gemmantes radio diuite inaurat agros,
Teque oriens ambit auro præsignis & ostro:
Credo tuas gemmas aureus hospes amat.

Vnde Luna pallor.

Tu quæ fidereæ frenos moderare choreæ,
Alternùm auricomo sponsa venusta proco,
Cynthia quid palles? an cæca piacula noctis,
Et lemurum insidias anxia virgo paues?

An vmbra sapiens.

Decrescit medio quo crescere debuit æuo;
Et cùm non decuit, nascitur vmbra gigas.
Sic nil vmbra sapit. informi in puluere serpens
Miraris quòd agat nil bene? cæca iacet.

Cur post fulgura imbres?

Iris loquitur.

Tendo minax arcum. tremis anxia terra sagittas?
Pro iaculo iratas noxia mitto faces.
Terra flagrat; vsti. tantæ an cælestibus iræ?
Delebo lacrymis fulmina inusta meis.

Vnde niuium flocci.

Quis mihi lanificas tot carminat æthere nubes,
Vnde pluat nudo lanea vestis agro?
An positâ Librâ Virgo per cærula cæli
Pascua Phryxéæ vellera tondet ouis?

Cur nix alba.

Vix ego nata, nigram matris delabor in aluum:
Quàm simul ac tetigi, fit mea lana lutum.
Et punctò in lacrymas abeo, nec lugeo pullâ
Veste: sequor luctum candida Roma tuum.

Cur nebula surgat & sidat.

Nunc imo desido solo, nunc tollor in auras
Ardua: Phœbeum semper obumbro caput.
Sic rapit alterno discors me trochlea lapsu.
Id merui. auricomum noxia cæco patrem.

Sol rorem cur bibat. Rosetum loquitur.

Concolor argento virides intermicat herbas
Gutta, verecundis gutta marita rosis.
Mox oculus mundi rapido bibit igneus æstu.
Cur? gemmæ inuidit aureus ille meæ.

Vnde mari salsedo.

Opprobrijs tellus, onerat me cladibus æther,
In canum insultant lignea castra caput;

Aeolij

Aeolij in sua iussa trahunt retrahuntque tyranni.
Hinc lacrymæ,& mœsto salsus in ore liquor.

Cur nauis domet mare.

Pinus iô frangit fragili,res credula,lino
Vndisonas acies Aeoliasque rotas.
Ardua cur terræ non vincat filia fluctus,
Si leuis immensum vincit arena salum?

Cur aurum defossum.

Terrigenûm exitio nascor, mundique ruinis,
Omnigeno sceleri fax,seges,arrha,caput.
Quàm benè me cæco defodit prouida Auerno,
Et mihi pro cunis terra sepulchra dedit?

Cur margaritum candens.

Pallet ebur,pallet marmor,nix pallet eburno
Vincta gelu,pallent mista ligustra rosis.
Vt baccam aspexi ; quem non bibat illa nitorem,
Quam lauat assiduis cærula mater aquis?

Cur omni in punico acinus putridus.

Punice is ne crede genis,neu suauè rubenti
Crede acino;putri rancidus ille mero.
Insido in vultu genium sapuere coloni.
Pœnorum in pomo Punica nónne fides?

Vnde pomo acerbitas.

Vnde putas viridi tam crudus acerbat in æuo
Mala sapor?mundo triste tulere malum.
Hinc illæ lacrymæ.quidquid rea mater acerbi
Terra bibit,pomis reddit id vlta suis.

Vnde pomo rubor. Ad hominem.

Me duce flammiuomos rupemnt fulmina nimbos,
Et fons purpureis rideo suauè genis.
Nolo putes risum,roseis quem spondeo buccis:
Erubui,it nocuo conscius ore pudor.

Cur palea poma maturet,& niues seruet.

An tacito mecum discors depugno duello?
Ferueo,poma coquo;frigeo,seruo niues.
Aestati se miscet hiems:hîc frigus,& æstus:
Sol pater hunc,illud dat mihi terra parens.

Cur morus nomen stulti adsciscat.

Relliquias brumæ gelido ver ruminat Euro,
Canicie hinc serâ florida como caput.
An plus vlla sapit?& me tu Rustice μῶρον?
Desipio;icta probro,quòd tibi poma feram.

Cur olea ferri metuens.

Nolo graui mites distringas vulnere baccas:
Nolo nocens ferro germina glauca metas.

Pax altrix fera vt arma tremit, sic nescia ferri,
Pacis alumna feras horret oliua manus.

Cucumis oleum cur fugiat.

Adspice vt anguineo trahat orbe volubilis orbes,
Ac labyrinthéo tramite flectat iter;
Et dic: Nequidquam cucumis fugis æger oliuam.
Quod metuis, tandem mors dabit vncta pati.

Cur rosa tam fluxa.

Viue cicus, pietas non asperat ira sorores.
Pone togam, aut sentas exue inerma minas.
Quis scit an ob spinas, terræ queis vris alumnos,
Vlta scelus, tribuat ver breue terra rosis?

Cur anemone sine odore rubeat.

Sol animam adspirat, roseoque figurat amœnas
Flore genas; cur non & mihi floris odor?
Pando sinum; Zephyri nusquam halitus. ite querelæ.
Pars bona floris abest. ö pudor! erubui.

Cur serpens medeatur auribus.

Terrigenûm clades, mundi ambitiosa ruinis,
Dira lues, vitæ pestis aborsa necem;
Exuuio medico serpens parit aure salutem:
Serò pius noxam quâ dedit Eua piat.

Cur serpens saucius se recolligat.

In sua viuacem mors vulnera vt abscidit anguem,
Frusta hinc inde micant funere semianimi.
Cur tantum licuit serpenti, vt funere viuat?
Grata suo parcit mors pia neptis auo.

Cur in fasciis puer.

Vt furtim erepsi gremio, me vincula stringunt.
Vt cecidi, innodant altera vincla pedes.
Vnde tot infelix traho ferrea pensa doloris?
Culpa reo est nasci de patre, pœna mori.

Cur oculos somnus claudat.

Aethereas oculis gelidus sopor admouet alas,
Et furtim humenti lumina nube premit,
Et claudit geminas vitro è gemmante fenestras.
Nec temerè id: vitæ fur malus ille meæ.

Cur risus è splene.

Luctifero splenem cur felle venenat amaror,
Vnde mihi risus vena benigna fluat?
Cuncta dolor violat. puro si gaudia riuo
Credis inura, nigro fonte doloris eunt.

Cur cadauer hominis serpentem gignat.

Acer equus vespam, longâ pecus aure crabronem,
Taurus

Taurus apes, anguem corpus inane parit.
Noxa parens morti, est noxæ pater anguis, & anguem
Mors generat. neptis grata regignit auum.

Cur vexetur à pueris nola.

Virque puerque meo trahit ilia pendula collo,
Meque flagris cædit, quò magè cæsa querar.
Supplicium hoc meruí. nolam tenet impius error.
Quò iubet ire pios, templa subire negat.

Unde sonus continuus in auribus impij.

Somnus iners blandis vdum caput illigat vlnis,
Et par incudi nox flagra surda sonat.
Vnde sonor? stygio dum cudit in igne securim,
Mille tuo capiti dat Metanœa fabros.

Cur superbia sedes in superciliis circa oculos.

Ardua in abruptâ sedet arce superbia ad auras,
Instabilique tremit pendula tota pilo.
Nube supercilij solium non aptius vllum est.
Si cadit inde, probrum qui lauet, imber adest.

Quò pœnitentis lacrymæ tendant.

Ite piæ lacrymæ, vitreisque erumpite claustris
Ite, sed informi currere nolo luto.
Ite licet cælo, non est grauis imber amoris.
Ignis, vt astra subit, sic satus igne liquor.

Cui apta vestis pellucida.

Serica perspicuo tralucet ianthina velo,
Nec tegit os vitreus, qui tegit ora, peplus.
Crede mihi, tam rara togæ textura fenestris
Aptior est, castæ quàm fiet apta togæ.

Cur lingua Mercurio offeratur.

Mercurio linguam? Maiæ num filius infans?
Quid sibi cum linguis, vox cui Suada, tuis?
Mercurio linguam præco tamen vre, litabis.
Rex furum ille, timet ne sua furta canas.

Cur stipem pro Matre deorum poscant.

Magna deûm Mater toto mendicat Olympo,
Et pro Matre deûm poscit agyrta stipem.
Nempe fames coquit atra deam. non miror inani
Ire penu, quæ tot nutriit vna deos.

Gulo.

Vix imis loculis vnus suspirat & alter
Gobius, & mullum luxuriosus emis?
Absumet te fenus edax cum paupere censu.
Te quem cæce voras ganeo, mullus edit.

Mater filio mortuo.

Cresce puer, dixi, cresce ô florentibus annis.
Hei mihi! Persephone præsecat atra comas.
Te saxo includam. sors quàm præpostera leti!
Quæ dare debueras, dona suprema capis.

Hiems vestit siluas.

Lanifico depexit hiems sua vellera nimbo,
Et niueâ algentem vestit humum tunicâ.
Sic quæ frondosâ spoliat nemus omne lacernâ,
Damna breui è lanâ iusta resarcit hiems.

Nusquam præsens tempus.

Inumera fluidæ momenta fugacia vitæ,
Et retine; pandas effluet hora manus.
Dum loquor, effluxit hodie qui voluitur annus.
Non it tempus, ijt. iam nisi viuis, heri.

Nil nostrum in vitâ.

Cras anceps, hodie fugit; hoc quod vixeris olim,
Crede tuum. tuum non nisi tempus heri est.
Vis id nulla rapit. Vita an fine munere munus?
Improba vult tantùm, quod fuit, esse tuum.

Vita nil habet vitæ.

Immemor elapsi præsens elabitur ætas.
Quod tibi labetur, spes malè sera tenet.
Nec tenet; error habet, & habet fuga decolor æuum,
Vita fugax vitæ pars quota quæso tuæ?

Vita non vita.

Infantem error habet, iuuenem labor; anxia mordet
Cura virum, torret mortis imago senem.
Luctus in occasu, luctus comes ater in ortu.
Dic vbi dos vitæ, sors cui sola rapi?

Dies vita.

Aurea vix roseo vitæ lux emicat ortu,
Nox subit, & furuum mors adoperta caput.
Phosphoron obscuris mox Hesperus occupat alis:
Cur vix orta dies tam citò iussa mori?

Senectus sapiens, non delira.

Me fatuam credis? cano nil doctius æuo:
Frons liber, apta libro littera ruga meo.
Mors anus insculpsit. fatū hîc lege, & omina fati:
Rugosum est leti bibliotheca caput.

Calua in cœmiterijs eloquentiores Cicerone.

Marce ad rostra sonas? maius mihi fulmē in herbâ,
Pace tuâ si fas dicere, calua tonat.

Me plus exterret tam viuida mortis imago.
Marce sile: ab muto plus Cicerone trahor.

Auarus nil acquirit.

Muscida latrantem vix placant crustula ventrem,
Et semesa miser ringere ad ossa canis.
Dum fruges sine fruge legis,tua vt emolat heres
Horrea; cuncta metens,nil metis,vsque seris.

Suis parcens, sua rapit.

Ad loculos oculis centum vigil accubat Argus,
Aureaque exsomnis, ceu draco, poma tegit.
Anne putas seruat? non tangit, & vritur auro.
Ipse sibi Alcides fit draco: habendo rapit.

Pecunia non est sterilis.

Vsuras vsura auido dum trudit ab ortu,
Aes ferit ære, nouo fenore fenus alit.
Et quisquã steriles credat sine germine nummos?
Nonne ingens modico fundus in ære sedet?

Iudex donum capiens, iustus.

Ancipites æquo stabant examine lances,
Appluit haud æquas aureus imber opes:
Iusque reo addicit. legi præponderat aurum.
Lanx iusta hæc. tanto pondere iure cadit.

Iudicij corruptor, iustus.

Abdixit tibi ius iustæ Diua arbitra libræ?
Iudicis in lances aurea grando pluat.
Euge, tibi Prætor iam litem addixit & agrum.
Quis ius iniustum dicere id ausit? emis.

Victor ludo vincitur.

Aurea dona cauo deuerre & rade fritillo,
Sorte pari & vitam mors rapit vnca tuam.
Falleris, & nescis. non sunt spolia ista latronum,
Sed tua. tu nummi prædo, sed ille tui.

Nummus inclusus, prædo.

Anxia pallenti prætende repagula Pluto,
Ferreaque obseptis præstrue claustra seris;
Et ferro vinctus fugiet dos perfida nummus.
Præda hæc prædo sui, se tibi nónne negat?

Ad studiosum.

Anxia cura libris doctâ impallescit in vmbrâ,
Et vigil ad pluteum sera lucerna strepit?
Mitte metum. ars Sophiæ si fors horã eximit æuo,
Fenerat. è puncto sæcula honoris eunt.

De vitâ dilemma.

Degis inops? liuor iecur vrit, & vrit egestas.
Diues agis? piceas mens tremit ægra manus.

Vita tenet? cruciant morbi, populátve senectus.
Vita fugit? tumulo te Libitina tegit.

Quid amor.

Humor an ignis amor? vitreos si consulis orbes,
Humor amor. pectus consulis? ignis amor.
Vt cor mergit aquis, sic vrit pectora flammis.
Icarón inde biceps, hinc Phaëthonta facit.

Coniux.

Vinctus hymen myrto geminâ cornice iugales
Te vocat ad tædas? ah! fuge triste nefas.
Si non bella, iecur iugi probro vlcerat vxor:
Sin formosa, coquit suspiciosus amor.

Mundus.

Si qualis fueris, te pinxero, terror & hostis;
Si qualis non sis, pingeris, error eris.
Munde bifrons terres, aut certè fallis alumnos.
Inde leo, hinc vulpes: alterutrimque necas.

Ad iratum.

Te digito vix tango, fremis plus tigride & vrsâ,
Quam raptis catulis ardor in arma rapit.
Mitte minas. si pecco, pari cur crimine flagras?
Sin dignum id veniâ, parce; süasit amor.

Ad prædonem.

Mille legis relegísque vias, nec meta labori.
An passim coruos vin' vaga vt vmbra sequi?
Effugis? impransus nostin' quid crocitat oscen?
Tu mihi cras debes prandia, coruus hiat.

Ad degenerem.

Augustâ eximium genus arbore ducis, & æuum.
Rex tritauus, proauus dux tibi, consul auus.
Si tua gens tali semper descendat ab ortu,
Olim arbor, tandem stirps tua fungus erit.

Ad rosam vetum.

Viue, precor, diu veris honos, & ruris ocellus.
Diu tibi natiuâ tinge latus trabeâ.
Fata vetant, sors læta parum. mors inuida falcem
Nascenti apposuit; vix fata, es apta meti.

In gulosum.

Retia tende solo, gula retia tende per auras,
Insidiosa cauo retia tende mari;
Et tria regna tribus populare elementa rapinis:
Quarta præda cades, te coquus ignis edet.

Aranea de se.

Ars mihi vita, meum labor ærumnabilis æuum:
Ars sed dira; meum viuere nendo mori est.

Nónne

Nónne ego quæ telam tam longi extexo laboris,
Debueram ingentes illaqueare feras?

Africa.

Dipsas arenosā Libyæ grauis hospes eremo,
Flammat inextinctā vulnera inusta face:
Nónne sat hîc Phaëthon siccas exussit arenas?
Terra Libyssa nouum cur Phaëthonta parit?

Aegyptus queritur.

Mars bello grauis vrit agros, sol vrit arenas,
Meque meo euerrit puluere victor Arabs.
Mille cadunt oculis nubesque imbresque doloris,
Et quisquam Aegyptum nubila ferre neget?

Nauis.

Exsecror errantes mundi per deuia siluas.
Quæque rates rabidis allatrat vnda fretis.
Nónne mari discors mare, & arietat Auster in Euros?
Et velis parcet ventus & vnda meis?

Vitulus cæsus ad aram.

Cui tenero in cornu vix germina prima iuuentæ,
Vix rudis inuisam bucula tinxit humum;
Ingemuit moriens: Cur maior vt hostia ad aras
Mugiat, è vitulo non sinis esse bouem?

FINIS.

APPROBATIO.

SELECTA *hæc Epigrammata Balduini Cabillaui è Societate* IESV, *verè selecta sunt: & vt talia, prælo typisque digna censeo. Antuerpiæ,* XXVI. *Aprilis,* M.DC.XX.

L. Beyerlinck, Archipresbyter Ecclesiæ Cathedral. Antuerp. & librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum est, nequis,* Balduini Cabillaui è Societate IESV Epigrammata selecta, *præter Balthasaris Moreti voluntatem imprimat, aut alibi excusa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliave habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* XXIII. *Maij,* M.DC.XX.

Signat.

De VVitte.

CA-

CAROLI MALAPERTII

MONTENSIS BELGÆ

E SOCIETATE IESV

POEMATA.

WLADISLAO SIGISMVNDI III. POLONIÆ REGIS FILIO

PRINCIPI IVVENTVTIS.

MAGNE *Iagellonides, cui debet Suecia sceptrum,*
Moſchua dat, Lechi ſceptra animúmque vouent:
Accipe Karnkouÿs miſſum tibi munus Athenis,
Quas bifido alludens agmine Proſna lauit.
Nec Muſis fateor, nec Phœbo digna Poleno
Carmina, ni facili tu tibi digna facis:
At mea cùm ſemel hoc viderunt lumina ſidus,
Vſquam aliò curſum flectere poſſe negant.
Ergo tuis patere auſpicÿs & ſoluere portu,
Et timidæ primum currere nauis iter.
Sic mihi, quot dixi populorum, maxime Princeps,
Spes de te iubeat tot DEVS *eſſe ratas.*

Poëmatum Index.

CAROLI MALAPERTII
è Societate IESV
SEDECIAS
TRAGOEDIA.

ARGVMENTVM.

NABVCHODONOSOR cùm *Ioachinum regno mouisset, Sedeciam patruum Ierosolymis Regem constituit: qui fisus deinde Aegyptiorum amicitiâ, Babylonico fœderi renuntiauit, contrà quàm Ieremias coràm, & Ezechiel Babylone captiuus, diuinitus admonerent: nam partim impiorum procerum consilijs in transuersum actus, partim (vt refert Iosephus) quòd duorum Prophetarum vaticinationes in speciem pugnantes esse videbantur, salubria vtriusque monita contempsit; ipsumq; adeò Ieremiam malè mulctatum in fœdissimi carceris cloacam conijci vel curauit, vel permisit. Premebantur intereà biennium totum arctissimâ obsidione Ierosolyma à NabuZardano, aliisq; Ducibus Regijs Nabuchodonosori, donec peste fameq; dirißimâ ciuibus exhaustis, Sedecias occulto itinere, præmißis filijs & coniugibus, nocturnâ fugâ vrbem deserit, cuius illâ ipsâ nocte hostes potiti, magnam partem, vt in nocturnâ inuasione fit, succenderunt. Victor Nabuzardanus vt primùm Regem dilapsum sentit, magnâ celeritate insecutus, è fugâ retrahit, & Nabuchodonosoro Reblathis agenti vinctum cum filijs sistit. Rex ferus tristissimo spectaculo filios patre inspectante trucidari, mox Sedeciæ ipsi oculos effodi & inde Babylonem deportari mandat. Ex lib. 4. Regum cap. 25. 2. Paralipom. c. 36. Iosepho lib. 10. Antiquit. Iudaic. c. 10. & 11.*

PER-

PERSONÆ.

SEDECIAS. ARMIGER.
NABVZARDAN. NABVCHODONOSOR.
IEREMIAS. FILII SEDECIAE.
NVNTIVS. CHORVS.

ACTVS PRIMVS.

Sedeciam initæ fugæ serò pœnitet.

SEDECIAS. ARMIGER.

IMBELLIS, excors, gentis opprobrium tuæ,
Quousque anhelum proditi ad labem imperî
Gressum fatigas? siste; iam satis est fugæ,
Ignauus vt sis. aude, age, superbos retrò
Referre vultus; nullus à tergo est metus.
Require Solymas, dubia quà montis iuga
Vix peruicaci lumina obtutu notant,
Piceaque fumus nube prætexit diem.
Sic fruere regno: fruere; sic Regem inclytum,
Cæloque teste strenuè ignauum decet.
Pudenda comitum turba, quid letum benè
Manu merenti densa per Medûm agmina
Malè obstitistis? turpis officij piget.
Par est maleuolo, quisquis ad probrum iuuat,
Ruente Solymâ, non satis credo fuit
Necis aut sepulchri; sola per nemorum loca
Vilesque latebras, quærimus fato viam,
Dignum leænæ pabulum, indigni hostium
Oppetere dextrâ, patriæ & busto tegi.
Adeóne dulce est viuere! miserum mori!
Moriamur anime. dedecus nullâ satis
Morte eluendum: quà licet, nostro tamen
Sanguine luatur. qui probri hærentem nequit
Labem expiare, finiat sensum, vltima
Ferro secutus. Verte in infandum caput
Huc arma miles. Quisquis è turbâ voles,
Patriæ ruinas, liberûm vlcisci necem,
Perime nocentem; rara vindicta obtigit
Tuta in Tyrannum. Quisquis è turbâ voles

Referre meritis gratiam facilem meis,
Perime volentem: siue crudelis mihi,
Siue es benignus, commoda Regi manum:
Mortem rependi præmium, aut pœnam rogat.
Adeste cuncti, adeste; quid frustrà pij
Exhorruistis? arma, non gemitus peto.
Seruate lacrymas funeri, aut patriæ date
Per me ruenti. vah pudor! nemo omnium
Aut esse iustus vltor, aut gratus volet?
Ite, ite, fata quemque quò ducunt sua:
Quod quæro, promptum est: sentio quà pectoris
Imi latebras cor mihi ignauum quatit,
Illinc reuellam lucis exosæ moras.
Me me ille nostris, si potest, pœnis satur
Parte è serenâ lentus adspiciat poli,
Qui probrum in omne legit Isacidum genus.
Nil fulminandum est, solus è tanto nocens
Populo superstum, certius telum hac manu
In me vibrabo. ARM. Magne Rex, quis te dolor
Agit impotentem, vitæ vt ingratus tuæ
Deum lacessas? Sed. Vt lacessitus malum
Malus ipse perdat: diro vt aspectu leuet
Cælum atque terras. ARM. Parce vesanis diem
Scelerare verbis, teque pietati refer.
Hæc ipsa luimus scelera; delirant duces,
Plectimur Hebræi. Nempe si monitis fores
Vatum obsecutus; salua nunc staret Sion
Starentque Solymæ. SED. Quos mihi vates canis?
Oracla dubiâ nostra iam nutant fide,
Pugnantque secum: vincla, Babylonem occinit.
Hinc Ieremias; inde Babylonem mihi
Vmquam videndam captus Ezechiel negat;
Vterque vates, fortis auctorem DEVM
Vterque iactat. ARM. Fateor, & dudum hæreo
Mecum ipse fati dubius interpres tui;
Oracla sed quæ clusa perplexis latent
Vocum inuolucris, ipsa per rerum explicant
Euenta sese: dum tamen sors fluctuat
Incerta, si dant fata, quærenda est salus:
Nam cur salubris consilî tantum piget?
Furor est apertum ruere in exitium palàm.
SED. Pudor est inultum fugere. ARM. Sed si res ferat,
Necesse; fortem tempori aptari decet.
SED. Mori fugacem? ARM. Fugit hac Dauid, pudet

 Sequi

Sequi nepotem? SED. Damno fugientem nepos.
Laudo Saulem mortis inuictum metu.
ARM. Parum interest, timore quo fractus cadas.
Vitam Saul timebat, hoc victus metu est.
SED. Probrum timebat, nemo magnanimus tulit.
ARM. Aduersa ferre nemo magnanimus negat.
Imbellis ille est, sponte qui vitam abijcit,
Lucemque duræ fortis impatiens fugit.
Sceleratus idem, carnifex dirus sui,
Hoc parricidâ tetrior, quò tu tibi es
Propior parente. fortis esse animi reor
Durare contra quidquid est durum pati,
Nec cedere retrò, stare quâ summus iubet
Statione ductor. laudis hoc verum est decus.
SED. Magnifica verba. macte, cui Mauors calet
Ventoso in ore, friget ad pugnam manus. (des.
ARM. Hosti probata dextera est. SED. Nobis pe-
ARM. Ardente Solymâ, vertitur vitio fuga?
Totam malorum Iliada, pestemque & famem
Memorare cogis memori? at ingrato iuuat
Memorare vel sic. Qui pedes laudas meos,
Equos requiris? fallitur quisquis putat
Solymæ relictos; sessor absumptum gerit
Inusitato ænigmate sonipedem suum.
Bis Aquilo galeam sparsit hibernâ niue,
Glacieque in vnâ stupuit hastili manum
Hærere miles, bis sub æstiuâ cane
Animam æstuantem duximus: nondum satis
Belli, aut malorum est? fare, quid prohibes dolor?
Quid anime refugis? fare, & inuitus tuos
Luctus retracta. Tantuli è turbâ sumus
Magnâ relicti; querimur Assyrijs hebes
Ferrum tamen fuisse: cum patriâ iacet
Sorte inuidendâ, quisquis hostili manu
Animam profudit. Pestis, & cælum nocens,
Ignaua fata, fortium robur virûm
Miserè abstulistis: Solyma non vno fuit
Vincenda ab hoste. Quidquid horreri assolet
Pastus nefandi, dulce ieiunis fuit.
Ipsa ipsa mater (conscium testor diem,
Factum est, quod olim posteri factum negent,
Aut execrentur,) dubia quem damnet neci,
Dum coniugem inter, inter & natum stetit,
Oblita matrem, Redde quodcumque es mei
O nate, dixit; vixque tendenti manus
Auersa iugulum praecisit, & cultrum impio

Defixit

Defixit ictu: voluitur leto puer,
Manatque tenuis corpore exsangui cruor:
Exceptus ille est, ne quid infaustæ dapis
Patri periret. Sæpè ab incepto manus
Scelere resistunt: sæpè se infelix parens
In facinus vrget. Perge, perfectum est nefas,
Infausta genitrix; perge, quod restat pium est,
Pascere maritum: dixit, & ferro secat
Medium cadauer, viscerum vellit fibras
Adhuc calentum, moxque frustatim suos
Errans per artus, per lacertorum moras
Indocta fœdæ membra lanienæ amputat.
Et quod malorum maximum in matre arbitror,
Defossa geminis lumina in specubus rigent,
Negantque lacrymas, torua, sine sensu, furens
Vt Baccha fertur. feruet vndanti latex
Iactatque aheno membra; pars lento veru
Stillat cruenta, subdit inuitas parens
Et hic & illic impio flammas rogo,
Partem in remoto prouida recondit penu,
Et esse tanto in scelere frugalem placet.
Epulæ instruuntur denique; ô fatum graue!
Vltra Thyestem est aliquid, & Graiûm leues
Vicimus Hebræi fabulas rerum fide
Cælo pudendâ. Crimine alieno nocens
Ignarus illic lancinat natos pater,
Nostri volentes: dumque præclusæ viam
Fauces, malique conscium pectus negat,
Dum stomachus horret pollui infandâ dape,
Pietatis omnem pertinax sensum furor
Euicit, vtero mater inuito suos
Fœtus regessit, & reluctanti viro
Scidit epulandos. I modò, & fugam exprobra,
Victasque Solymas, querere desertos lares
Vix semiuiuis; proditum regnum voca,
Alimenta quando pertinax nulla inuenit
Rabies edendi, ni tuos forsan dares
Natos coquinæ. Sed quid hîc vanis diem
Terimus querelis? fixa si penitus sedet
Mori voluntas, iungere & regno iuuat
Regem cadenti, facilis ad letum via est.
Redeamus illuc vnde discessum est malè,
Reddamur hosti. scilicet magno impius
Optarit emptum Medus, vt Regem suis
Addat trophæis, dubia quæ meritò facit
Hostis superstes. SED. Num Sedecias potest

Cuiquam timendus esse? ARM. Si viuit, potest.
Ludum insolentem ludit, & miros habet
Fortuna reditus, quosque deiecit gradu,
Alterna visens rursus in stabili locat.
SED. Opem sed vnde rebus afflictis iubes
Sperare miseros? ARM. Vnde speramus nihil.
Nec sic tamen iacemus, vt nullus queat
Erigere lapsos; mutuam pactus fidem
Socia arma iunxit, Pharia quem tellus colit
Latè Tyrannum; flectere huc cursum licet.
Parant amicos prospera, reposcunt fidem
Aduersa. SED. Poscunt, fateor; at rarò impetrant.
ARM. Tentare liceat. SED. Nēpe Medi vt gratiam
Pharao Tyranni capite mercetur meo;
Pacis redemptæ victima vt vilis cadam?
ARM. Legunt quieti præsidia, miseri occupant
Quodcumq; asylum. SED. Cùm mori tēpus vocat,
Precariò vixisse post regnum pudet.
ARM. Matura quamuis fata nunc Regi forent,
Non sunt parenti, coniugem, natos, pater
Orbos relinques? hanc tenent iussi viam
Carpuntque celeres; fida sed quoties virum
Coniux requirit? parua natorum manus
Tremente quoties ipsa cum filiâ tremens
Vultus reflectit, trepida quem ponè audiat
Hostem an parentem? propera, vt aduentu prior
Tueare inermes: sequere, quā multum tui
Viā antecessit. SED. Solus inflectit meos
Amor ille sensus: fateor hac victum trahis.
Prō misera pietas! cogis infelix patrem
Vitæ perosum viuere, & fugam exequi
Mori obstinatum. Testor immitem DEVM.
Non trepidus hostem fugio; vos, nati, sequor.

CHORVS I.

FILII PROPHETARVM.

IMPVNE pollicetur
Sibi impius futurum,
Quoties vibrare lentus
Trisulca tela differt
Hominum deûmque rector.
Nullus memor nefandi
Fandique nostra curat;
Rapitur, peritque iustus,

Premi-

ʾremitur, iacetque virtus ;
ʾceleri benè, & ſceleſto eſt.
ʾdeſte, & innocenti
ʾaqueum parate mecum :
ʾona vndecumque præda eſt.
ʾic impius : ſed æquâ
ʾui lance cuncta librat,
ʾon ſurdus vltor audit.
Rarò pœna fugax ſcelus
ʾlaudo deſeruit pede;
ʾompenſat grauitas moram.
ʾuſtum rebus in anxijs
ʾindex ætheris arbiter
ʾetu & fraudibus afferet.
ʾruſtrà faucibus imminet
ʾuctis impia factio :
ʾruſtrà ringitur inuidus,
ʾæco & murmure perſtrepit:
ras denſo vt in agmine
ʾt longos apis aſperat
ʾon iam mellea bombos ;
ʾut ſpinæ & tribuli leues
ubiecto vt crepitant foco.
ruſtrà conſiliantium
ʾœtus peruigil excubant,
ʾt linguas acuunt ſuas ;
erpens vt trifidis micat
ʾno gutture ſibilis.
Iuſtus propoſiti tenax
retus numine proſpero
ʾaſſos non timet impetus :
ʾt qui rupis in arduo
ʾaſtor vertice confidens
ʾnſanum mare deſpicit.
ʾſtu callidus & dolo
ʾoli prenditur artifex:
ʾæret implicitus pedem
lagis quas malè tenderat.
Hæc quondam cecinit ſacer
ʾates ſub Solymæ iugis,
ʾeruis dulcè loquacibus,
ʾerbis lenè ſonantibus ;
ubiectaſque Sionio
ʾalles reddere vertici
ʾocali docuit lyrâ
eſſæi genus inclytum.

Hæc nuper Ieremias
Tetro in specu canebat,
Quò Principum immerentem
Retruserant furores;
Medio è lacu monebat,
Cùm vix tenace limo,
Cùm vix olente cœno
Toto emineret ore:
Vel sic tamen rebelles
Regemque, Principesque
Toto increpabat ore.
Nunc æquus ille vindex,
Suam suique vatis
Vltus vicem, rependit
Regi parem, scelestis
Ducibusque talionem.
Fugitant pauentque anheli
Rex ipse Principesque;
Fugitant pauentque frustrà:
Victor superbus instat,
Iam iamque terga prendit.
Dabunt, dabunt scelesti
Captiua colla vinclis,
Quæ vatibus parabant.
At vnus ille tetro,
Liber specu remissus
Bis Solyma capta cernit,
Et barbaros verendus
Refulget inter hostes.
Nusquam præsidio DEVS
Fallax destituet suos:
Orbis concidat, & chaos
Rerum dissoluat decus,
Illæsum caput erigent
Inter fragmina mundi.

ACTVS SECVNDVS.

Nabuzardan fugientem Sedeciam insequitur, & capit.

NABVZARDAN. NVNTIVS.

VT pedibus alas addit & vires timor!
Vix antegressos, longâ & enectos fame
Sequimur Hebræos, plus tamen cursu valent.

Hîc

Hîc dubia rursus semita in plures abit.
Vos, quà renascens vix benè affulget iubar,
Properate; maior turba, quà Pharium est iter,
Mediumque Titan pendulus librat diem :
Vos ite medij. abstrusa, defossa, inuia
Lustrate celeres; vile non petitur caput,
Nec præda tenuis. vnicum monitos volo ;
Seruate Regem, regiæ & stirpem domus
Tenete vinclis, quos Nabuchodonosoro
Placet exhiberi. ruite, & in vulgus truces
Sæuite reliquum. Sistite hîc reliqui gradum,
Captemus auras vndique, haud longè reor
Abesse Hebræos. Næ meis si laudibus
Accedat vnum, currui vt iunctum meo
Regem triumphi ferculum eximium traham;
Tum me beatum, & cælitum excelsissimum!
Per gemina Phœbi lustra vix fractum Ilium,
Asiæque columen dirutum Argiui canunt,
Aut mentiuntur; nec meæ possint tamen
Officere laudi. perfidæ, & numquam satis
Solymæ iacentes, hac iacent stratæ manu.
Auditum est Pelasgæ fraudis; vt fortes decet,
Vicere Medi. quidquid ad regni caput
Tot antè regum struxit insanus labor,
Ferro recisum est: turrium immanes premunt
Suos ruinæ : facta per muros via est,
Quos qui iacentes videat, haud credat tamen
Potuisse sterni. Qualis euictis furit
Obicibus amnis, cùm iugo montes fluunt
Niuei soluto, miscet & cæli nouas
Imber ruinas, ille per campos vagus
Vetitos, per arua fertur, & tumidum vndique
Diffundit agmen : talis horrendùm intonans
Miles per hostem cæde molitur viam,
Ferrumque & ignem stringit, vtrouis ferens
Exitium : Hebræi morte non vnâ cadunt.
Hunc flamma latebris pellit, vt stricto induat
Mucrone pectus; ille dum ferrum timet
Hostile, patrijs eligens flammis mori,
Mortem, sepulchrum quærit, & domi inuenit.
Solyma vlulatu tota femineo sonant,
Ipsosque terror penè victores subit :
Congesta patrum decora, cælatas trabes
Depascit ardor, regiam flammæ ambiunt,
Nec parcit ignis, parcere vt victor velit.
Non prohibet auidas flamma, non pestis manus ;

Medios per æstus, inter ardentes globos
Semiusta miles spolia populator rapit.
Quique obstinatæ tædio victus moræ
Damnabat arma nuper, auro nunc grauis,
Spolijsque onustus gestit, & geminis lubens
Ignoscit annis. gratius magno bonum est
Quodcumque constat, pretia commendat labor.
Sed quid moratur miles huc Regem mihi
Pertrahere vinctum? salua si nostros fugit
Hæc præda casses, non satis victas reor
Mihi esse Solymas: contumax notum est caput,
Noti rebelles; rursus indomitâ parent
Ceruice bellum: plebis ingenium feræ
Vel inde disce, liberis saturi suis
Fugiunt parentes; quis vagus campis Geta,
Quis inhospitali Caucaso, aut medijs satus
Scythiæ pruinis tam ferum potuit nefas?
At quem citato video præcipitem gradu?
Libet ire contrà. Fare; quo res est loco?
NVN. Dux magne salue, salua res, salua omnia.
NAB. Rex ergo captus? NVN. Captus. NAB. O lætum diem!
Viuo, triumpho. sed rei gestæ ex fide
Seriem recense. NVN. Dum ferâ hinc illinc vagis
Venamur oculis, fortè decusso orbita
Notata rore est, quà pedum vestigijs
Iamiam subactam gramen attollit comam:
Dum ferimur illuc, & datas prædæ notas
Sequimur anheli, sensit aduentum prior
Rex ipse nostrum; sensit, & vultum simul,
Simul arma flectens, Sistite ô socij fugam,
Tenemur, inquit; non decet tergo viros
Excipere mortem, pectus aduersum date,
Ferte arma in hostem, sic miser frustrà suos
Increpitat: illi densa per nemorum impigrè
Dumeta reptant, quemque quà subigit timor.
Vt abesse socios vidit, & nudum latus,
Infremuit amens: aggerat furias dolor,
Furiæ dolorem; nec pudor turpes sinit
Captare latebras. Ergo non dubius mori,
Per tela & agmen pronus aduersum ruit;
Suaque lacessens fata, fulmineum rotat
Ensem huc & illuc, quaque pilorum seges
Cuspidibus horret densior, cursum incitat.
Qualis cruentus inter Armenias leo
Depressus hastas, asper & dirùm infremens

Ceruice totas excutit fuluâ iubas,
Strictoque nunc hos dente, nunc illos petit.
Nos, quando iussa non sinunt aliud tua,
Eximus arte vulnera, aut clypeo cadunt.
Miratur ipse indigna tam lentos pati
Impunè ab vno, comminus nullum sibi
Conserere dextram; dumque violento imminens
Furore in ictum surgit, ingentem impetum
Aereique triplices non ferens clypei moras
Dissiluit ensis. hæsit ignotum intuens
Capulū, atque inermem dexterā: at turba vndique
Clamore in vnum tota sublato volat,
Centumque frustrà manibus obnixum premit.
NAB. Facere imperata militis primum est decus,
Non quidquid ira suaserit, temerè obuium
Truncare ferro: sistere ardentem impetum
Vel inter arma, iamque libratam manum
Reuocare ab ictu, cùm tuba receptum canit:
Per iacta passim spolia, per fusas opes
Hostem irretorto lumine fugacem sequi,
Hoc militare est. Nunc & hoc nostrum reor,
Dispicere vestris paria quæ meritis queant
Præmia reponi: faxo ne fraudi sient
Neglecta cuiquam spolia, dum sequitur ducem.
Quid verò Regis liberi? an tutum tenent?
NVN. Iam puto tenentur: vix enim exiguo patrem
Spatio anteibant, vt fugaces prodere
Regis ministros mors propè admota impulit.
NAB. Sapienter istud. Emica actutum in pedes
Quà te antecedit rumor, & nostro refer
Hæc ceña Regi; Reblathis quantocyùs
Victosque Hebræos, meque victorem affore.
At at propinquo tremuit armorum sono
Concussa tellus: militem agnosco meum.
Rex ecce trahitur vinctus.

NABVZARDAN, SEDECIAS.

Infandum caput,
Rebello, vecors, ergo sperabas meas
Euadere manus? Siccine? incensæ ruant
Tuo igne Solymæ, concidat regni status,
Regisque scelera populus immeritus luat,
Dum tu malorum machinator facinorum,
Bustumque patriæ, tota quem numquam satis
Solyma obruisset, subtrahis leto caput?

 At

At si obstinatè sederat numquam iugum
Subire nostrum, quin priùs dira omnia,
Pestemque, & ignes, & famem, & bellum pati,
Et cuncta ferre, ferre quæ obsessus potest;
Post strata flammis Solyma, post pestē,& famem.
Cui te reseruas deinde? quæ regna altera
Perdenda restant? meliùs ardentem rogum
Patriæ subisses funus extremum tuæ;
Rex occidisses. Perditum an tanti fuit
Superesse, posthac vt tibi frustrà inuoces
Mortem relictam? vile ludibrium hostium,
Viuax miserijs tempus vt quæras tuis?
SED. Quæcumque amarus ingeris victor probra,
Audire merui: fateor, & serò pudet.
Parum rebellis, contumax parum fui;
Res est inepta, facere perfidiæ modum.
Post pertinaces hactenus belli moras,
Post tot meorum funera hoc vnum dolet,
Vestro quòd igne Solyma non nostro iacent.
Hac si deinceps stare non poterant manu,
Poterant perire: cuncta cumulassem priùs
Quibus superbis spolia, & ardenti super
Cumulo irruissem; trahere labentem omnia
Regem decebat. Nec tamen iactes tuos
Tantùm triumphos; non tuâ victos premis
Virtute Hebræos: Solyma consumpsit lues,
Tu diruisti: facilè & imbellis potest (probe
Iactare flammas. NABVZ. Captus armatum im-
Lacessit ore? SED. Qui mori lucrum putat,
Lacessere hostem captus armatum potest.
NABVZ. Procace linguâ melior, armatus fugis,
Pugnas inermis? SED. Arma si reddi iubes,
Manu refellam quidquid obiectas probri.
NABVZ. Hoc facere Solymis decuit. SED. Et
factum fuit. (nec
NABVZ. Cùm præ se Hebræos miles Assyrius ca-
Ageret fugaces. SED. Persicas inter nurus
Narrare captam fortè cùm Solymam voles;
Aduersa vestris tela vix aliquot benè
Tenuisse in vrbe militum laruas refer,
Quos sola macies luridi & vultus color
Faceret timendos. NAB. Facilè frustrari impetum
Hostilem ab altis turribus quiuis potest,
Et trahere bellum. SED. Facilè, si ignaui obsident.
NAB. Laudes scelesta pergis argutis meas
Obterere dictis? faxo vt hic sidat tumor,

Et agere victum doctus assuescas malis.
Cæcâ vt reclusus nocte, pœdore obsitus,
Tecum ipse statuas victor an victus sies.
SED. Fortuna miserum facere, non timidũ potest.
Exilia, mortem, mille pœnarum modos,
Quamque his & illis esse peiorem reor
Minare vitam, carcere & vinclis preme;
Exstabit animus liber, inuictus, suus.
NAB. Sic te esse iubeo liberum, inuictum, tuum.

CHORVS SECVNDVS.

FILIAE SION.

Ex cap. 2. Lament. Ieremiæ.

EHEV! quantis mersit tenebris
Solyma iratus superûm Rector?
Eheu! quanto turbine vertit
Celsa ætheriæ tecta Sionis?
Quæ surgebant æmula cælo,
Nunc æqua solo culmina fumant.
Dum prona suo fræna furori
Laxat, auitæ nil memor ædis,
Sacra profanis culmina miscens,
Vnâ obuoluit cuncta ruinâ.
Regibus olim condita priscis
Monumenta patrum subruit vltor;
Celsis positas montibus arces,
Mœnia fossis collapsa suis,
Planum Assyrijs constrauit iter
Nobile regnum; regnique Duces,
Fortia bello pectora, Medo
Dare ludibrium permisit hosti.
Ipse ipse animos fregit Iudæ,
Ipse ipse animos surgere Persis
Dedit & robur, numine dextro;
Cùm præcipites agitant nostros
Mœnia circum, dum cuncta metunt
Obuia ferro; ceu flamma leues,
Agitata notis, haurit aristas.
Fuit ille, fuit tutela suis:
Nunc crudelem versus in hostem
Tela infenso dirigit arcu,
Neruum adductis cornibus vrget.
Figit medium, mediumque fugit
Pectus arundo morte relictâ:

Quem-

Quemque, vt formâ & robore præstat,
Primum ignauo destinat orco,
Quas continuit presitque diu,
Irarum omnes fundit habenas;
Ignis vt arcto fornice clausus,
Furit effracto fornice victor.
Non quassa iacent ariete Medo
Mœnia Solymæ; murum hostili
Turresque manu DEVS armipotens
Vertit ab imo : DEVS ipse tuos
Iuuenes leto mersit acerbo, &
Totam oppleuit cladibus vrbem.
Quod sibi quondam penetrale sacrum
Proprio voluit iure dicatum,
Hosti cessit præda profano :
Vt disiectis sepibus hortus,
Quem fœdarum ruit ingluuies
Vertitque suum. Nil sacra mouent
Otia, festum & sabbata damnat :
Capita Superis proxima, Regem, &
Nihilo Mystam Rege minorem,
Ludum Assyriis dedit opprobrijs.
Vix nota suis ara sacrificis,
Numquam externo violata pede,
Peruia cuique est. Atria quantum
Vndique plausus sacra volutant,
Vt cùm festo carmine nuper
Personat ædes : at nunc alios
Impia pangunt agmina cantus.
Nec præcipiti nos mente DEVS
Dedit exitio ; digerit olim
Hæc fata sciens, neu nostra putes
Temerè verti : librata suo
Aere pependit linea, Solymæ
Dum tecta solo funditus æquat;
Dum celsa cadunt mœnia, & ipsum
Quod celsa tegit mœnia vallum.
Defossa suis arata latet
Porta ruinis; solido vectis
Fusus aheno, sera non vno
Obdita ferro, contrita iacent.
Soliti portis iura sub altis
Reddere proceres, nunc illa timent,
Quæ dat victrix iura libido.
Heu vbi sanctæ regula Legis!
Vbi fatidicûm carmina vatum!

Populo

Populo nullus ventura canit,
Aut sua vanus somnia narrat.
Rigidis tecti corpora villis
Iacuere senes, tepido crinem
Cinere sparsi; prohibet nullus
Hoc de Solymis sumere victor.
Virgo pudicas laniata genas,
Virgo solutas lacerata comas,
Patriæ sese in puluere versat.
Tabida longo lumina fletu
Acies sensim tenuata fugit.
Intima torquet viscera luctus,
Felleum amaras iecur in lacrymas
Abit effusum, terramque rigat,
Dum tot in vnam congesta diem
Mala ploramus: cùm depositi
Solymæ propter compita passim
Pueri dulces linquunt animas;
Pressoque infans vbere frustrà
Moritur primo in limine vitæ.
At quibus ætas grandior os iam
Vocemque dedit; Heu vbi panis!
Heu vbi, mater optima, vinum est!
Miseri clamant; voceque in ipsâ
Defecta calor membra relinquit.
At si qua pio natum exanimem
Fouet amplexu, gremio hic matris
Animam reddens colla reclinat.
Quibus assimilem tua fata Sion?
Quibus exemplis releuare parem?
Miseri miserum hoc solamen habent,
Similis, socios memorare mali.
At nemo tuis cladibus vsquam
Æquanda tulit. Premeris toto vt
Obruta Ponto, nec opem in tantis
Quisquam ærumnis ferre laborat.
Quis ferre tamen (fac velle) queat?
Somnia vates delira tibi
Cecinit blandus, nimiumque fauens
Scelera obtexit: nemo salubres
Gemitus monuit, quibus infensum
Prouida posses flectere Numen.
Tibi Niliacis affore ab oris
Spondebat opem, tibi Chaldæas
Marte secundo pellere turmas;
Sed spe miseram lusit inani.

Nunc

Nunc qui Solymæ collapsa videt
Tecta viator, manibus plausum
Geminis tollit, motansque caput,
Illáne Solyma est nobilis, inquit,
Tot populorum regia nutrix?
Illáne ocellus, mundique decus?
Inhiant patulis rictibus hostes,
Acuunt pressis dentibus iras,
Stridentque feri; sibila vibrant
Anguis ad instar. Celeres, aiunt,
Currite socij, rapite incensas
Auidi Solymas, vertite ab imo.
Quantum Isacidum est, Medûm agminibus
Quantula præda est? En illa dies
Vltima Hebræis, festa Assyrijs
Tandem illuxit. Benè habet: votis
Lucem adspicimus mille petitam,
Per tam longi tædia belli.
Quæcumque DEVS tibi fata, Sion,
Sanxerat olim, quæ præsagâ
Fuerant vates mente locuti,
Nimis, heu! veris rebus adimplet.
Nescius vlli parcere, sæuit
Durus in omnes. gaudere tuis
Dedit immitem cladibus hostem,
Celsumque tuâ stare ruinâ.
Taciti ciues patriæ è busto
Timidis cælum questubus implent.
Et tu miseræ nata Sionis
Funde perennes oculis riuos;
Non nocte tibi, non luce tibi
Requiem indulge; madeant geminæ
Vsque assiduo pupulæ ab imbri.
Nec te pigeat nocte silenti,
Vigilum quoties nocturna dabit
Buccina signum, duro corpus
Tollere strato, feralque DEO
Dicere laudes: niuis in morem
Vere solutæ Domino coram
Cor funde pium; tolle pudicas
Cum voce manus, & sparsa vijs
Iuuenum memora corpora totis;
Pietate DEVS tangitur istâ.
Adspice cælo Pater Abramidum,
Aspice quam tot cædibus vrbem
Viduam linquas, Ergóne placet,

Quæ

Quæ membra manu mollia finxit,
Eadem truncet, sua discerpens
Viscera mater? Penetrale sacrum
Proprio Mystæ sanguine fœdant,
Proprio vates; num fortè iubes
Cruor ille tuas imbuat aras?
Puerûm obscœnæ sparsa volucres
Corpora tundunt; inhumata senum
Membra superstant: ferro pariter
Iuuenes trunci, & nubilis ætas
Strauere vias. Heu sæua dies!
Semperque tua nobilis ira!
Funesta dies! quæ communi
Regnum exitio Regemque tulit;
Dum tu veniâ flecti indocilis,
Ternis similis cuncta furenti.
Vt sacra Deûm festa quotannis
Populi circùm turba frequentat;
Non secùs hostes coiêre mei,
Nimiùm celeres tua iussa sequi.
Cinxêre meos aggere ciues,
Nemo vt vigiles fallere tecto
Tramite posset, nemo furoris
Immune tui seruare caput.
Quæ tot alebam regia mater
Gremio natos læta superbo,
Orba, infelix, quâ voce parens
Deinde vocabor? Barbarus hostis,
Aetherque nocens, & dira fames,
Vario hauserunt funere ad vnum
Cara relictæ pignora matris.

ACTVS TERTIVS.

Nabuchodonosor victoriâ elatus, aduersus DEVM *insolescit, Sedeciæ insultat, & dira quæque minitatur.*

NABVCHODONOSOR. IEREMIAS.

QVEM Phœbe nostro cernis imperio parem,
Quacumque Nereus incoli terras finit,
Seu retegis orbem melior, & primis nouus
Occurris Indis, spatia seu mensus poli
Currus Ibero tingis emeritos freto?
Iam ter rebelles ferre ter domiti sciunt
Victorem Hebræi; posuit Aegyptus minas,
Socias-

Sociasque vidit ruere & æquari solo
Quieta Solymas. Genere mortali altior,
Par gradior astris; omnis aut vnum adspicit
Dominum subactus orbis, aut vnum timet
Lacessere hostem; fœdus Assyrium vltimi
Hominum reposcunt legesque quâ victi solent.
Cælum est relictum: dignus est nostris labor,
Dignus trophæis. Iuppiter posthac mihi
Certare solus ausit, & nisi abditus
Cælo lateret, si pedem liceat pedi
Conferre, vincam. Memet habuisset ducem
Terrigena miles, qui graui Pindum iugo
Imposuit Ossæ, tertium ad superos gradum
Struxissem Olympo. Quid Deûm turbam moror?
Si sunt tamen Dî: Iuppiter cælo imperet,
Ventosque sensus domitet expertes; meum est
Regnare viuis: imbribus cælum obtegat,
Tegam ipse telis; grauior at nubes cadet
Quam concitaro: fulmen incertum vibret
Non deligenti saxa diffringens manu,
Timidosque inani territet populos sono;
Non hæc trisulcum dextra, sed telum vibrat,
Quo destinatum certiùs figat caput.
At te quis animi deuium exagitat furor
Recutite Iuda, numen vt toties meum
Demens lacessas? moueram regno duos
Reges paterno: tertium indignum ætheris
Vitalis haustu, Marte bis fractum meo,
Solio locaram; rursus intumuit ferox,
Resideisque in arma compulit populos: luat,
Luat scelestus; sentiat quidquid graue
Iratus audet victor, aut victus timet.
Quærit rebellem, quisquis ingratum malè
Sceptro reponit. Nempe si inuisum genus,
Natos, parentes vltor extinxem priùs,
Non deinde toties aliud ex alio ferant
Bellum nepotes: perfidos nasci puto,
Vt nemo doceat; nulla tam fixa inditur
Natura soboli, nulla tam certò obuenit
A patre rebelli liberis hereditas.
Benè est: tenetur tota cum catulis fera;
Nullum relinquam stirpis infandæ super.
Huc pertrahantur. At quis è contrà gradum
Taciturnus infert vestis ignotæ senex?
IER. Rex magne, vatem sponte captiuum adspicis,
Cui dira Solymæ excidia, cui totam dedit

Sericm

eriem malorum nosse regnorum Arbiter.
Vi mens fuisset læua, fatorum minas
Pridem imminentûm potuit admonitu meo
Vitare Iudas : potuit ; at tumidi Duces
nauspicatâ tela sumpserunt manu.
Traxere bellum, cuius Assyrium quoque
Misereret hostem; plusque pœnarum tibi
Volens pependit Solyma, quàm posfsis ferus
Exigere victor. Pace sed dici hoc tuâ
Liceat : Suorum scelere, non vestro Sion
Excisa ferro est : alibi regnorum decus
Hinc ferat & illuc aura fortunæ leuis;
Nostri ille Rector, cuius æterno omnia
Nutu feruntur, imperii ad clauum sedet,
Rerumque taxat moribus nostris modum.
Te, quem secundo bella successu efferunt,
Animos feroces premere, moderari impetum,
Memoremque sortis esse communis decet.
uis ruinis Solyma quem tumidum facit,
Tumidum domaret meliùs; hoc Babylon loco est,
Vnde illa cecidit : quique momento obrui
Imperia nosti victor, ipse mox tuo
Docere id ipsum victus exemplo potes.
Nec mille forsan Ducibus, aut annis moram
Facies duobus : fata quàm paucis DEVS
Tam lenta dixit ? vna nonnumquam dies
Funere triumphos mutat, & famulo Ducem.
Hæc tu memento; quóque fortuna altiùs
Te læta tollit, leuiùs afflictos preme:
DEVM fauentem metue, nec tutum puta
Efferre cuiquam contumax cælo caput.
NAB. Sua cuique dextra est, quod DEVM populi vocant.
IER. At illud vnde est quod tuam dextrâ vocas?
NAB. Méne ergo terræ filium, aut fungum putas?
Non sunt parentes ? IER. At suæ parentibus
Dextræ fuerunt; vnde ? NAB. Quem captas senex,
Regē, an Sophistā? IER. Nemini est animus meis
Captare verbis; nec tamen nostrum arbitror
Palpare Reges. Rex es; at te hominem decet
Meminisse eumdem ; purpuram, & regni notas
Natura nescit, quæ sinu nudos dedit,
Nudosque recipit. NAB. Iure nascendi pares,
Fortuna pòst discreuit. IER. An forte hæc regi,
Nutúne potiùs mentis æternæ putas?
NAB. Fortuna magnū est numen, aut nullum reor.

IER. Fortuna nullum est numen, aut cæcum puer.
Non deligenti dona si spargit manu,
Cur colitur aris, nulla quæ merita adspicit?
Frustrà es colendo, demereri cùm nequis.
Sin merita prudens pensat, & votis fauet,
Fortuna non est. NAB. Fata, fortunam voca, aut
Quodcumque tandem voluit humanas vices;
Nisi ille potiùs, quem sibi quiuis manu
Sancire poterit, ordo fatorum manet.
IER. Aequúmne fuerit, summus vt rerum parens,
Quæ cuncta sapiens condidit, casu sinat
Neglecta ferri; vt quidlibet temerè audeat
Libido inulta? num tuo morem hunc velis
Regno obtinere, regis vt nullo metu
Legumque nullo, quisque quod lubitum est nefas
Designet vltrò? NAB. Quid si & hoc mũdi decus
Temerè coisse nobiles censent Magi?
Cur sorte nequeat, sorte quod natum est, regi?
IER. Sublimè flammas mille qui appensas videt,
Stabilique cælos ritè voluentes vice
Lunæ labores; solis eximium iubar
Nunc alta scandens spatia radiati ætheris,
Nunc capita gyro nostra propiori legens,
Libransque toti lance bis iustâ diem
Noctemque mundo; cernere hæc inquam potest
Ostenta rerum, credit & cæcum chaos,
(Magis ipse cæcus) cuncta dum miscet, simu
Fortè omnia extudisse? pars mundi quota est
Vestra illa Babylon, quam tot artificum manus
Vix condiderunt? nemo quæ certâ vndique
Ratione constant, esse fortunæ putat.
NAB. At ille Olympi, si quis est rector, polum
Habet, habeatque; dum tamen terras sinat
Nobis regendas: sorte diuisum mihi
Non inuidendâ cum Ioue imperium feram.
IER. Mundi ille rector, qui tibi superbas dedit
Frænare gentes, hoc tributum Regibus
Imperat, honorem, & Numinis læsi metum.
Reges timendi gregibus imperitant suis,
Maior minores territat Reges DEVS.
Tute ipse nostrum carcere & vinclis premis,
Sibi perduelles non domet Reges DEVS?
NAB. Nequit rebellis esse qui nulli fidem
Obstrinxit. IER. At qui condidit, cunctos sibi
Obstrinxit idem. Lege non aliâ sumus.
Quis cum parente pactus in manum venit,

Dicto

)i&o audientem filium & frugi fore ?
)ci,& parentum nascimur: non vendicat
Aancipio abactum filium vt prædam pater.
NAB. At enim parentum nota maiestas palàm ;
:t nota Regum,facere si iussa abnuis,
/index potestas. quod coli Numen iubes,
ii nemo nouit , si scelestis integrum
Addit, & vtrosuis fulminum afflatu petit ?
ER.Documentū in ingēsRegibus Hebræi sumus,
Quàm certa Superi damna neglecti ferant.
Nec tibi superbo cuncta si ad votum fluunt,
ic fuerit olim ; vindicem agnosces DEVM.
æpè ille seram, sed grauem pœnam exigit.
NAB. Longinqua narras;tempore accepto interim
/tamur. IER. Ecquod tempus acceptum vocas,
Cùm polliceri crastinum nemo audeat ?
NAB. Cane ista Hebræis: numina,& vates mihi
Timent minari ; si meis quisquam audeat
Obstare votis, obruam Mystas suis
Deosque templis. IER. Obrui putris queunt
Ludibria trunci, stulta quæ Persis colit :
At ille noster qui tenet cælum DEVS,
Nusquam tenetur clausus, & nusquam deest ;
Mortaliumque fata, regnorum vices,
Non fortuitâ cæcus ex vrnâ mouet ;
ed mente longè prouidâ rerum modum
Metasque ponit. NAB. Regna, regnorum status,
Martem secundum, vota in hac posui manu.
Precariò regnatur, vbi capiti imminet
Maior potestas. IER. Qui DEO subdi abnuit,
Regnare longùm nō potest. NAB.Possum,abnuo:
Testorque nullos esse quà regno Deos.
Abscede vates : trahitur en vinctus mihi
Rex perduellis.

NABVCHODONOSOR. SEDECIAS. FILII SEDECIAE.

Téne.ego infandum caput
Aspicio, sed quo perfidum cultu decet?
Hac spe paterna sceptra moderari manu
Dederam immerenti, bella vt ingratus mihi
Hostis reponas? SED. Fateor, ingratum tenes,
Sontem, rebellem : dira supplicia ingere,
Ferrumque & ignes ; mille per mortes neca.
Nil deprecabor meritus : at talem quoque
Aliquid rogare liberûm infelix manus

Cogit parentem; parce puerorum indoli,
Et quos tenellæ primus ætatis decor
Subducit iræ, victor indignos puta
Quorum cruentes sanguine vltricem manum.
Non illud oro, pristinæ vt sortis decus
Nomenque teneant, liberis hanc spem meis
Perfidus ademi; patere, quod captis sat est,
Seruire miseros, nobili & vinctos iugum
Accipere collo. Regibus nemo hoc neget.
Sic tibi superstes viuat illa spes domus,
Aliusque solo nomine Euilmerodach
Virtute reddat, reddat & vultu patrem;
Partisque populos addat imperiis nouos,
Si quos relinques. NAB. Arma qui nuper ferox
Solymis rotabat, verba quàm blandus iacit!
En tibi trahuntur liberi; amplexu, osculis
Lassare; sic te decuit agnosci patrem. (patre
FIL. Pater heu!! pater mi! SED. Filij heu digni
Feliciore! quid tenellis compedes
Tentare rigidas manibus incassùm iuuat?
Heu vana pietas! FIL. Heu pater! miser heu pater!
SED, Ite ite nati, Principis pectus feri
Mollite lacrymis : vestra sollicitum salus
Habet parentem, nil meas pœnas moror.
FIL. Miserere Princeps, vinculis patrem exime.
NAB. Procul amoueto, lictor, inuisum genus.
Pereant scelesti. SED. Sceleris auctorem tenes
Reum, fatentem : parce turbæ innoxiæ,
Nisi si in parentem crimini pietas datur.
NAB. Iam sunt nocentes, perfidi, si sunt tui:
Tollantur hostes. SED. Hoc capit nomen puer?
NAB. At capiet olim, Solyma cùm generis memor
Recidiua ponet : pertinax amor hic patris
Consulere natis ante Chaldæos suis,
Penitusque belli tollere sementem admonet.
SED. Cessat leonis, hoste prostrato, furor;
Lacerat cadauer si qua de vulgo fera est.
NAB. Prostratus hostis sæpè vires integrat.
SED. Non sic iacemus Isacidæ, vt cuiquam timor
Possimus esse. NAB. Surgere, qui viuit, potest.
SED. Victorem in omne lenitas vulgus decet;
Quid Regē in ipsū? NAB. Nēpe qui Rex nō foret,
Nisi hoc dedissem. SED. Regibus fueram satus;
Hoc non dedisti. NAB. Fateor; hoc habeas tuum,
Quod perfidorum perfidus Regum es nepos:
Cauere nostrum est nequa damnatum genus

:oboles propaget, semper vt minoribus
Perfidia placeat maior, & inausa audeat.
ED. Quos iam rebelles (velle fac) rursus queant
Tentare populos? Quantulum Isacidum fames
Pestisque reliquum fecerant, flammæ & furor
nimicus hausit: nulla tam grandis senem
Aetas redemit; feminam nullus pudor,
Nisi forma placuit: vix satis leti capax,
Per vulnus infans matris occubuit suæ,
Nascendo moriens. Sed quod ind ignum hactenus
Possit videri, pugna nocturnis tegit
Commissa tenebris; fecit hoc tincti semel
Ferri libido, fecit incensus dolor.
Non facile frænos ira, non Mauors capit.
Quodcumque tandem est, militum fuerit scelus;
Adhuc cruentum nulla te absentem potest
Fecisse cædes. Nunc vbi armorum impius
Resedit ardor, tollere puellos potes,
Miles quibus pepercit, & miles furens?
NAB. Hoc est quod altâ luce victorem pudet,
Quòd adhuc inulto nulla vindicta obtigit.
Atrox, cruentum si quid admissum hactenus,
d noster animo miles indulsit suo;
Mihi nil litatum est: nunc meum tempus vocat
Furere furorem. Lictor, hæc monstra abdito
pecu reconde, pauca dum mecum exigo,
Pœnamque Hebrææ quæro perfidiæ parem.
Impunè vt abeant, nec mihi meritas luant
Pœnas Apellæ? nulla tam indecorem dies
Arguerit vmquam, tamque non memorem mei.
Benè est: petebat liberis parci suis:
Pater hic tenetur; quà dolet, ferrum exigam.
Parentis oculos morte funestet suâ
nuisa soboles. Numerus angustus meo
Tres sunt furori, fateor: at quotquot potest
Mortes timere, videat; & geminis statim
Luminibus orbus imprimat visum nefas,
Animoque deinceps semper infelix suos
Luctus reuoluat. Hic placet pœnæ modus.
Sibi superstes funus extendat suum,
Careatque luce viuus; & quidquid potest
Auferre cuiquam Parca fatalem colo
Fusum recidens, vita viuenti auferat
Misera, per omnes tracta pœnarum modos.
Ferrum & ignes, lictor, i, mortes para.
Me regiæ intus iam dapes dudum vocant.

CHORVS TERTIVS.

FILII PROPHETARVM.

CREDERET quiſquam? Superis honores
Inuidet vecors hominum libido:
Suppares Diuis pudet ire Reges.
Altera exſurgit Babylone moles,
Iamque vicinis minitatur aſtris,
Et noui cælum quatient Gigantes.
Ille vaſtator Solymæ, cruore
Ebrius noſtro Nabuchodonoſor
Paſcitur thuris nebulâ, Deoſque
Pinguis omenti procul à vapore
Aemulus arcet.
Parce terrarum Superûmque rector,
Parce, ſi culpam ſatis hanc luerunt,
Parce, ſi nondum ſatis eluerunt,
Aliger primi ſceleris repertor,
Dum tuis certat titulis ſuperbus;
Quique, quos vmquam genuit nepotes,
Antè damnauit malè cautus Adam.
Ilicet diæ nitor ille lucis,
Candicans cælo rutilus nouello,
Sede ab excelsâ ruit, vltimiſque
Squallet inferni tenebris barathri.
Iſte fatalem violare morſu
Auſus autumnum, vetitoſque doctæ
Arboris fœtus, miſer eſſe primus,
Pluſque quàm vellet, didicit malorum.
Noxa non vni ſtetit vna magno;
Poſteris dentes hodieque ab illo
Dentiunt morſu, metuuntque tangi.
Creduli quondam vitio mariti
Feminæ ad fraudes patuiſſe narrant
Pyxidem ærumnis grauidam, maliſque:
Inde morborum incubuiſſe terris
Agmen, & totum tenuiſſe mundum.
Hæc fide vates memorent Pelaſgâ
Et coli ad lumen celebrent aniles.
Eua Pandoram facit innocentem.
Et capi blandæ facilis maritæ
Vxorius Adam.
Tempore ex illo miſeranda proles
Naſcimur matrum propè parricidæ;

Voce testati gemituque primo
Omen infaustum genitalis horæ.
Terror Alcides Nemeæ ferarum
Si fuit quisquam; fuit ille quantus
Quilibet nostrûm : modò natus infans
Quæsijt lucem, & gemuit repertâ
Luce misellus.
Scilicet cunas puer inter arctas
Guttur elisit tumidum colubris;
Maximum credo facinus patrauit,
Et suo dignum Ioue, noctibusque
Nequiter iunctis, benè cùm papillas
Vberum presſis tenuit labellis.
Nec superborum potiora nostris
Iura natales habuere Regum :
Sint licet festi populo, fuere
Flebiles nato, miseræque matri.
Qui modò auratâ radias coronâ
Squallidus gemmis, populisque circum
Sceptra moliris metuenda centum:
Qui pedum irato quoties sub ictu
Succutis terras, tremulumque mundum,
Ferreos armas sonitu maniplos :
Qui datos cælo temerare rerum
Terminos audax, subicis carinis
Montium saltus, equitique tutum
Per freta insternis tabulata pontem :
Pone quos circumdedit apparatus
Sortis alternans fauor inquietæ,
Et tuis pollens opibus superbi;
Qualis à partu tenerùm rubebas,
Fasciâ qualis puer obuolutus
Cura pendebas gerulæque pondus,
Qualis ignotas vagus inter vmbras
Sutilis cymbæ referes Magistro
Ordine naulum.
Tutiùs Princeps animi modestus
Subdit æterno sua sceptra sceptro,
Numinis castas veneratus aras.
Hinc caput rerum pius auspicatur,
Gratus huc lætos iterùm refundit
Exitus : seu cùm domito triumphans
Hoste, festiuas vehitur per vrbes;
Seu togâ clarus studijs beatæ
Pacis indulget, fruiturque parto
Ciuium tutus animis suorum,

Impotens regno, superûmque temtor,
Quem iuuat toti populo timeri,
Horreat cunctis metuendus omnes.
Excubent quamuis vigilum cateruæ,
Horreant denso lateri cohortes;
Nulla securos vehet hora soles,
Nulla tranquillos feret hora somnos.
Qui tot incedit comitatus armis,
Vix fide incedit comitatus vnâ.
Sæpè qui regum genua aduolutus
Dexterâ prensat, diadema fuluum
Respicit limis; inhiatque sceptro,
Qui manum blandis terit vsque labris.
Immemor sortis nimis ille nostræ est,
Qui tot incertis homines rotari
Casibus cernit, renuitque demens
Cedere cælo.
At cuius ictu proximæ stridunt fores?
Quis ille vultum mœstus & fletu grauis,
Atro verendum cinere consperfus caput,
Nimiumque nostri similis? impexum manu
Mentum reuellit; squallidam spargit comam;
Diuersa iactat brachia, adductis sonat
Pectus lacertis, vestium abrumpit sinus,
Hoc more nostro: pectus appressum pilis
Intus cruentis horret. Hebræus palàm est,
Quicumque miser est. Tantulum huc secedite,
Propiusque mœsti verba captemus senis.

ACTVS QVARTVS.

Cædes filiorum Sedeciæ, & Sedeciæ ipsius excæcatio.

IEREMIAS. CHORVS.

SVPREME rector cuncta qui nutu moues,
Eritne tandem grauibus ærumnis modus?
Eritne per te? Solyma Dauidis labor,
Totque inde Regum, puluis & tumulus iacent;
Nos præda trahimur, bisque dispersis noua
Exilia mandas: spatia sed terræ negant.
Non vnus hostis spolia de nobis tulit,
Non vna Medus; trita Babylonem via est,
Et trita Memphim: sola Iudæis negat
Iudæa sedes, cetera exsulibus patent,
Nullamque Hebræo vilius venit caput.

Meruit,

Meruimus ista fateor,& si quid potest
His esse grauius; fecimus cælum nocens
Diri nepotes; melior at Patrum tibi
Memoria subeat, Abrahæ imperiis fides
Probata duris, castus Isaci timor,
Et tot Iacobi pectus inuictum malis.
Pietate auitâ patere natorum scelus
Obliterari. Stirpe si exscindi vltimâ
Placet Israëlem,quis tuis meritos dabit
Aris honores ? quis tuas laudes canet?
Ammoniisîne perfidus ? nostris ferox
Medus ruinis ? fuerit incassùm via
Medium per æquor, aggeris structi modo,
Vbi mare geminâ fronte marmoreum stetit?
CHO. Quî sic repentè fixus obtutu silet
Senex in vno ? totus horrescit comis,
Animamque pectus vix anhelantem capit.
Haud dubia vatis signa iam pleni DEO.
IER. Quid me furore concitas iterùm sacro,
Aeterne genitor,mentis alienum meæ,
Tuæ capacem ? Quæ, quibus vates canam?
Quæ fata restant? aliquid extremas potest
Vltra esse flammas, nec satis Solymæ iacent?
Vtinam occidissent totæ, & hoc saltem darent
Fata in supremis vnicum ærumnis bonum,
Nihil timere. Sola metuendum mihi
Facitis tyrannum parua natorum cohors
Capti parentis. Prô ferax scelerum dies !
O magne Rector quid noui monstri obiicis !
CHO. Auerte in hostes omen infaustû,ô DEVS.
IER. Nihil ominamur , prouidi vt vates solent,
Olim futurum : video & intersum malis.
Geruntur intus ; tota res luce & palam est.
En ille Superûm temtor , & bello insolens
Nabuchodonosor, Regis exuuias mei,
Dauidque ab alto purpuram ostentat toro.
Frontem tiaras noster, & sacræ comam
Cinxere vittæ : geminus hinc illinc Ducum
Discubuit ordo : spolia Solymorum micant,
Et hîc & illic. ipsa quæ pictis premunt
Aulæa lectis, nostra distinxit manus;
Et quæ superbis fixa regalis domus
Parietibus hærent , monstra calcati maris,
Mersosque currus, bella, Mystarum tubas
Muris timendas, mille prostratos Duces,
Et facinus omne gentis Hebrææ canunt.

Merum sacrato, prô nefas! auro rubet;
Vile in profano est: miles hoc quiuis bibit.
En ecce Ductor memorat armorum vices,
Et castra paruo tota metatur mero,
Victasq; Solymas: Hîc Sion nuper stetit,
Tulitq; cælo proximum è terris caput.
Relligio gentis vnica hîc templum fuit.
Sæpè hac rebelles, prima dum valli darem
Præsidia circùm, cominus pugnam parant,
Audentq; signis serere collatis manum.
Illic sepultæ Rex per ambages viæ
Iam luce dubiâ profugus è terrâ exstitit.
Sic bella pingit; calice mox toto impiger
Falsisq; Solymis proluit madidum caput.
Io, triumphos, ceteri assensu fremunt,
Geminantq; plausus. CHOR. Lacrymas socij date
Gemitusq; contrà, plangite infaustum diem,
Et tota nostris Reblatha lamentis sonent.
IER. At at nefandæ ferculum cœnæ dabit
Dignum satelles. Agite, sic mensis quadrent
Primis secundæ; sanguinem hæ sitiunt dapes.
Vinctus Sedecias trahitur; & totus quidem,
Miseri parentis liberi stipant latus
Densantq; pauidi. CHO. Magne regnator poli,
Miserere tandem, vultu & afflictum aspice
Iudam sereno; parce, per si quid tibi
Vmquam parentum dulce nostrorum fuit.
IER. Vix misera gressum cominus pompa intulit,
Verusq; Hebræus ante simulatum stetit;
Assiluit iste, qualis è Gangetico
Ieiuna lustro tygris ad prædam volat.
Ardent minaces ore truculento genæ,
Exundat irâ pectus, & largo insuper
Baccho tumescens, igne non vno furit.
Nec multa fatus, voce violentâ intonat
Ferrum satelles: moxq; deuot os neci
Lumine pererrans, cæde quem primâ immolet
Patris dolori dubitat, & peragi nefas
Innuat ordinatè. Macte, consilium capis
Dignum tyranno. subiit extremos patri
Seruare luctus, ipsa quos ætas minor
Et blanda pietas altiùs cordi imprimant.
Sedet ille trunco fixus, hoc ritu suas
Spectare mortes placuit, & toto frui
Luctu quietum; dirimit hinc illinc breue
Spatium misellos, impares numerus facit;

At

At pro duobus dexter assistit patri
Aetate fratres Iosias vincens duos.
Lictor puellum quisque correptum tenens,
Ferro & paratâ pendet in vulnus manu,
Spectatque nutum. Lancinant totidem neces
Iam cor paternum,totq; vix vnus capit
Animus timores, Iosias totum hinc rapit,
Rursum minores inde sollicitant duo:
Diuidere patrem vellet affusum tribus.
Violenta ceu cùm maria discordes agunt
Feruntque Zephyri,cedit atque instat sibi
Instabilis vnda; nauta cui faciat pedem
Incertus auræ, vela in ancipiti tenet.
Verùm efferati regis indomitum prece
Lenire pectus genitor infelix parat,
Positoque natos poplite aduolui iubet.
At ecce Iosiam supplicem frustrà semel
Pudet fuisse; decora maiorum puer
Pictosque vultus cernit, & faciunt suo
Animos nepoti. Liber ad manes tibi
Genitor præibo; sed decus spreti feram
Mecum tyranni. Dixit,& iugulo necem
Hausit sui securus, eductum cruor
Ferrum secutus vulnere ingenti fluit,
Donec receptâ morte procubuit solo,
Humique fesso lumine requirens patrem,
Vidit tyrannum : vidit,& moriens quoque
Vultus retorsit. Tristius letum hæc facit
Pietas parenti : nititur frustrà suis
Pugnax catenis,pectus insano gemit
Ferri sub ictu,vincula quod vnum finunt.
Hinc trepidus infans,territus fratris nece,
Lictoris ipsâ veste contexit caput :
Marmaricus vt cùm perculit totas leo
Cum nemore caulas,audiit fremitum pecus,
Minorque tauro turba congeminat latus:
Carnificis illinc alter obseruat manum
Strictumque ferrum,conscius fratrem sibi
Vnum anteire. Spectat, & longo impius
Rex scelere gaudet; néve disiunctus parum
Primi secundus obruat sensum dolor,
Dispensat iras lentus,& spatio necem
Doctus tyrannus quamque distinguit suo.
Ergo vt paternos tantulum primus furor
Remisit artus,fecit & luctus noui
Animum capacem; proximum cædi imperat,

Adiet-

Adicique fratri. Barbarum quamuis sonum
Sensit puellus, seque ab incauti manu
Rapuit ministri, turba currenti fauet:
At ille paruo facilè trepidantem gradu
Secutus, ensem penitus in tergo abdidit.
Gemino puellus flumine aspergit solum,
Et vtrimque moriens pronus in patrem cadit.
CHO. Prô facinus atrox, dirū, & aspectu horridū!
IER. Tepido paternos sanguine implentem sinus
Exanimis ipse genitor amplexu vltimo,
Vinclisque circùm corpori affusis premit.
CHO. Miserãde genitor! IER. Stricta quod nequiit (manus,
Frigentis oculos osculis claudit suis,
Et ore presso spiritum abeuntem legit.
Odêre tandem triste conuiuæ nefas,
Quin ipse Solymæ clariùs victor gemit,
Palamque diro paruulos prædam dolet
Monstro stitisse : vellet incolumes fugam
Tenuisse, vellet morte defunctum leui
Toto parentem conditum regno tegi.
Solus furori barbarus constans suo
Terret gementes. hostis est, cui hostium
Aegrè est recidi penitùs inuisam indolem.
Ignaue lictor tertium hoc monstrum neca.
Ictum parabat ille, cùm paruas manus
Oculosque contrà trepidus obtendit puer:
Vicitque pietas, & nouo monstro stupet
Mucrone stricto lictor ad cædem piger:
Nec blandus infans, nec ferum pectus mouet
Lictor patronus : precibus accrescit furor.
Vt cùm medullas hausit, & corpus sacer
Depastus ardor ossibus vacuis furit;
Iam medici, & omnis asperat tactus malum;
Intus reuulsis torridum fibris iecur
Quas biberit vndas, vrit, & gelido ampliùs
A iatice vires Stygius accendit vapor.
Sic dira rabies, impia, intractabilis
Regis cruenti sæuit, & pectus ferum
Ardet magis magisque furiarum impotens.
At tibi necandos lictor imbellis tuos,
Si renuis istum, liberos, inquit, dabo.
Vix dum coactâ carnifex totam manu
Mortem tenello pectori infigit satis,
Facinusque & ipsum cùm facit, damnat nefas.
Ast vbi cruento tres videt sparsos solo
Cruentus ipse, nec nouas mortes timet

Iam genitor orbus; pectus oppressum diu,
Furiásque, & omnes laxat irarum impetus
Dudum paratos: vincla nequidquam excutit
Arctatque motu, ringitur, frendet, fremit,
Opprobria diris miscet, & quidquid ferum
Insanus animo suggerit promptum dolor.
Hostes lacessit, fata, nec cælo impius
Superisve parcit: mille nunc ignes vocat
In se aut tyrannum; nunc remolito chaos
Hiare mundo, seque & infandum caput
Vlteriùs Erebo, Tartari ad finem vltimum
Viuos videntes mitere, nec dubitet prior
Trahere sequentem. Risit indignans minas
Amarus hostis, luminum & geminas faces
Capite reuelli voce violentâ imperat.
Vltrò ministros noster irritat probris:
Adeste barbari; adeste (si conuitio
Emenda mors est) belluæ, atque his addite
Funeribus vnum. facitis? & puerûm neces
Audetis vltra? adeste, & inuisum diem
Eruite; parte moriar hac saltem mei,
Quæ tot suorum funere impleuit patrem.
Vnum oculi, & illud esse postremum volo,
Torui tyrannum aspicite, & obliquos mali
Hirquos rotate; barbari vultus notas
Odiumque menti figite æternum meæ.
Nec plura fatus, præbuit firmum caput
Ad vtrumque vulnus; lictor hinc illinc premens
Vnguem sub ipsos orbium infodit specus,
Oculosque ab imâ funditus sede extudit
Tum quoque feroces. Perstat indomitus furor:
Vacuique vultus igne truculento micant.
Vinclis solutus, vellit hærentes genis
Fibras, & altâ luce vestigans diem
Gaudet tenebris: sanguine impleuit manum
Taboque latè regias spargens dapes,
Ipsum & tyrannum. Quòd tibi, si qua id tamen
Iustitia cælo curat, his dignum DEVS
Factis reponat; cæcus hanc vnam velim
Aspicere lucem. CHO. Siluit, & sensim sibi
Vates relictus excutit membris DEVM.
O dura nimiùm fata! cui monstro, ô Pater,
Exterminandos placuit Isacidas dari!
IER. Misella turba, quid tuas clades grauas?
Anteire lacrymis funera, atque vno malo
Bis esse miserum, me iubet solum DEVS.

Quid

Quid ante tempus fata luctumque occupas?
Non sunt tamen futura, quæ coràm geri
Loquebar absens; facta nunc, facta vltio est:
Ite, ite celeres, quotquot infaustæ Sion
Natæ supersunt, facite mox totâ excitæ
Ab vrbe coëant, regij vt stirpem tori
Donent sepulchro: quà iacent, sparsos legant
Parentis oculos; marmore vt clausum pari,
Quod licuit vnum, filij hoc habeant patris.
Abiere: quæ nunc prima, quæ demum miser
Postrema plangam! fumat, & lapsæ vetus
Querela Solymæ est! polluit tẽmpli intimos
Hostis recessus; ordo Pontificum sacer,
Rex ipse, regum prole cum totâ perît;
Captiua turba est. Regis elati minis
Par sit potestas, cardines mundi vltimos
Bello fatiget, nec suo perstet loco
Immune cælum. Magne regnator Deûm
Tam lentus audis scelera! tam lentus vides
Reges superbos! ceteri an quiduis patrant
Impunè, nullo numinis læsi metu;
Solique Iudæ dextera trisulcum gerit
Vibratque telum? Comprime, ah! vocem dolor,
Et ore dignos impio questus doma.
Antè, antè placidi mille violatum est probris
Nomen parentis, fœderi illusum sacro,
Truncis litatum, iuris infractus vigor,
Fas omne pulsum. Iustus Israël DEVS;
Cùm plectit, & cùm parcit, ex æquo bonus.
Maiore scelera nostra taxauit modo;
At scelera nullum nostra seruarant modum.
Nec te, superbo capite quæ terres Deos,
Insana Babylon, mitius fatum manet.
Diuina si quid cælitus veri canunt
Responsa vatum, si quid ad modulos lyræ
Auctor futuri certus, atque idem inclytus
Iessæus armis: muta pendebunt tuis
Nablia salictis, quando victoris soli
Fluenta propter pascet Assyrium gregem
Captiuus hospes; forsan & nuper suum
Pecus ipse ducet. Patrium frustrà melos
Cantare iussus, quale, dum Sion stetit,
Solymis sonabat, occinet festâ tibi
Pro voce gemitum: Siccine, heu! sacra extero
Prodamus hosti? deerat hoc vnum malis
Cantare miseros. antè dedicat suas

Mea dextra chordas, antè lingua torrido
Hærens palato vocis officium neget;
Obliuiosâ quàm mihi mente excidant
Solymæ penates, inclytum & templi decus:
Quàm mihi madentes vlla lux tergat genas,
Nisi quæ Sionis mœnia & templi obrutas
Restituet aras. Tu tamen cælo arbiter
Qui cuncta cernis, reddere proteruæ vicem
Memento Idumæ, voce quæ nuper meos
Stimulabat hostes: Vertite ex imo omnia;
Eruite vel quod terra defossum tegit.
Nec tibi, meretrix magna, quæ fastus meos
Fastu premis maiore, vindex desuper
Dormit seuerus. Aderit, ô! adsit dies,
Victorque felix, paria qui nostris tibi
Remetiatur præmia, & pueros sinu
Raptos parentum frangat ad saxum impius,
Matremque nato spargat exanimem suo.

CHORVS QVARTVS.

FILIAE SION.

SI pectus gemitu, brachia planctibus,
Si riuis oculi sufficient nouis;
Extremam sociæ dicite næniam,
Dum funus patriæ condimus vltimum.
Huc mœstæ facies squalor, & orbitas,
Funesti huc gemitus, huc iterùm dolor
Postremumque veni. Non solitis placet
Cor figi stimulis; sub de animo faces,
Quas nec continuis pupula fletibus,
Nec lapsu minuat temporis orbita.
En nudata tibi pectora soluimus,
Et crinem patriæ puluere sordidum.
En quæ multiplici funere liuidas
Sulcauere manus vulnera per genas,
Irritata nouo sanguine perpluunt.
Ploratus oculi quòd datis, est leue.
Nil flendum solitis perpetimur modis:
Salsas vulneribus vergite lacrymas,
Et mixtim geminum per laceros mihi
Vultus flumen eat. Sistite lugubrem
Hîc pompam, comites, caraque pignora.
Molliri tepidis vulnera fletibus,
Componique decet paruula, dum calent,

Doctâ

Doctâ membra manu: sindone cùm decet
Quâ regum tumulo corpora contegas,
Infelix pietas; pondus inutile
Peplum, barbarico stamine diditum,
Et fluxam ci lari detrahe carbasum.
Cui tanto miseræ comimur ambitu?
  Nimis, heu! clari generis soboles,
Heu certa nimis! accipe Princeps
Quæ prima tibi lamenta damus,
Quæ prima ferunt verbera planctus.
Accipe Iosia, qui ætate duos
Anteis fratres, qui morte duos:
Te supremâ voce ciemus
Solymis serò nate tuendis,
Citò formosæ nate parenti.
Misera heu mater! nimis in luctus
Fecunda tuos, quæ te regio,
Quis victor habet? Misera heu mater!
Seu tua nondum funera sentis,
Seu nota gemis: quis sollicitæ
Animum possit fallere matris?
Captiua parens, orba, infelix,
Vidua viui coniugis vxor,
Quos hîc gemitus, quæ verba dares,
Si tantus habet sua verba dolor?
  Vos, ô comitum turba dolentûm,
Ite ad planctus, explete vices:
Dum mater abest; ite, sed illis
Quibus ipsa parens viribus ite.
Innuba quantum potis es virgo,
Animo totam concipe matrem.
Innuba quantum satis es virgo,
Paribus matrem redde querelis.
  Occidis eheu! occidis eheu!
Tantum ad luctus ostense tuis
Puer infelix: quem spectabant
Sceptra secundum, mors spectabat
Impia primum. Tibi Dauidis
Fortia populi gesta vouebant,
Salomonis opes, Iosiæ castos
Superûm cultus, dignos solio,
Dignos proaui nomine mores.
Superi vanas risere preces,
Zephyrique leues vota tulerunt.
Occidis eheu! occidis eheu
Puer infelix! tecumque omnes

pes sub gelido marmore claudis.
Ades o nostri gaudia nuper
splendorque chori, virgo puellæ:
Huc castus ades, nec turpe sinus
Tibi virgineos tetigisse puta.
Ades, & lacrymis implere meis,
Dum vulnus hians, saniemque premo.
Heu vulnus atrox! quo vita tibi,
Quo nostra omnis gloria fluxit.
Altum heu vulnus, nimiumque patens!
Oblitus eras in quem fureres
Dire satelles, pueri quando
Impete tanto ruis in iugulum.
Formose puer, patere intonsus
Per colla fluens lactea crinis,
Non doctus acu, sed lege suâ
Notos sese crispet in orbes.
Ora parentum confusa notis,
Lumina blandæ matris amores,
Lumina celsæ frontis honorem,
Claude æternis claude tenebris.
Niucum roseis iunge labellis
Propiùs dentem, strictiùs æquo
Ora tetendit vltimus ardor.
Tende sub imum brachia pectus,
Sceptroque habiles belloque manus
Ad funebrem flecte decusfim.
Sic compositum quodcumque tui est
Iosia ignoto redde sepulchro;
Patrium Assyrius diripit hostis.
Sic sic compositum condite Iosiæ
Quod mortale fuit: non violabilis
Pars nostri melior, vulneraque & necem
Tristesque inferias spiritus effugit.
Nequidquam solito carmine præficæ
Astantur positum corpus, & impio
Decertant animum iungere funeri:
Manes innocuos inter, & Abrahæ
Exceptus patrio est paruulus in sinu,
Securusque feri Nabuchodonosor
Aeuum lætus agit.
Nec turpi Iosias occubuit nece;
Quem non Rex animi terruit impotens,
Elati tumidus nube supercil?,
Non pendente minax vulnere carnifex.
Aliò luctus vertite vestros,

Aliò planctus; sua iusta tulit
Lacrymasque puer de tribus vnus.
Qualis cupido fectus ab vngui
Flos veris honor (quem virgineæ
Carpsere manus, dum quæque sibi
Sertum arguto pollice nectunt)
Cui sua nondum forma recessit,
Cui sua sensim forma recedit;
Nec enim tellus iam mater alit:
Talis vestros pueri vultus
Nunc candor habet, cedensque genis
Decor extremus quiddam solito
Plus more micat; ceu supremo
Natura parens munere funus
Dignata, nouos afflet honores.
Scilicet istæ timor armato
Meruere manus esse tyranno,
Vix benè balbâ voce parentum
Pappare infans nomina doctus,
Scilicet olim bella moueret,
Patriæ quærens vbi fortè locus;
Sortisque memor quam nosse nequit.
Si tamen æquum tollere censes
Quidquid posfit metui quondam;
Et idem iustum tutumque putas;
Euilmerodach, reliquamque tuæ
Spem tolle domus; hac lege licet,
Metui possunt. nempe Assyrius
Rex Sennacherib (dignus ab illo es
Tertius heres) iugulum natis
Dedit incautus; quasque colebat
Cernuus aras, victima maior
Sanguine sparsit,
Parcite longis turba querelis:
Fugit ardenti leuis hora rotâ,
Nec nisi furtim licet esse piis.
Conferte suos Iosiæ fratres,
Donaque tumulo mittite raptim,
Qualia deceat mittere captas;
Non quæ Solymis stantibus olim
Traheret pompæ regius ordo.
Parui ô manes, puri ô manes,
Vmbræque nihil lucis egentes,
Læti ad plures ite Isacidas;
Ite, & proauos visite reges.
Nihil ad funus conferre pius

Genitor

Genitor potuit carius istis:
Oculi nostræ sidera gentis,
Geminis pulsi sedibus orbes,
Quorum ad nutus Proceres nuper
Populique omnis turba tremebat,
Vltima nostri fercula adeste,
Non parua tamen fercula luctus.
Cardine verso crepuere fores:
Adest tyrannus, & quidem irato gradu;
Adhuc tumescit: ite diuersæ, aniæ,
Et cara celeres pignora in tuto abdite.
En barbarorum tota carnificum manus,
Comitatus illo dignus, è foribus ruit.

ACTVS QVINTVS.

Sedecias oculis effossis foras producitur, & Babylonem amandatur.

NABVCHODONOSOR. SEDECIAS.

BENE est: abundè est. Solyma nunc tandē iacēt.
Sic perfidorum decuit Isacidum vltimas
Spes quoque recidi, regiam ex imo domum
Subruere: flecti quod nequit, frangi potest.
Nunc animo regnas; nunc tibi nemo hostium
Abiit inultus. Pudeat irarum Deos.
Nostris deinceps Græcia, excluso Ioue,
Adolebit aris; dicet Alciden suum;
Cana nitentes populo impediet comas,
Regumque dextrâ stipitem vltorem geram.
Vnam tamen deesse vindictæ queror
Laudem beatæ: fuerat hæc populo palàm
Manus probanda, non domi occluso malè
Perdenda virtus. Lictor huc viuum trahe
Regis cadauer, sanguine natorum & suo
Vulnere cruentum; Reblathis spectaculum,
Rebellibusque nobile exemplum dabit.
Audire miseri cominus questus placet.
Vos facite Regem nemo vicinum indicet;
Cæcisque totæ gressibus pateant viæ.
SED. Quis cespitanti cogit incertum gradu
Properare ductor? trahito quò lubitū est, sequor,
Vel ad tyrannum. Quisquis es tamen, precor,
Ne filiorum membra proculcem parens,
Carùsve sanguis lubricum fallat pedem.
Violare furor est, ipsa quod tuto in loco

Natura posuit: fallor? an tetri specus
Iter est ad vmbras, carcerisque antrum mei?
Illuc eamus: cæcitas capiti impio
Parum alta nox est. Quid malè hîc superas domos
Funus, luesque oberro? quid manes meos
Et insepultas viuus exequias traho,
Mihimet parentans? reddite sepulchro suum,
Aut rupis altæ condite abstrusum specu.
Non ille primis solibus pateat locus,
Non ille seris. quid mihi impendat diem
Perdatque Phœbus? Nocte non vnâ obrutus
Liberior illic questubus vitam exigam,
Et iusta genitor liberis soluam tribus
Forsan inhumatis. lacrymas oculi negent;
Meliùs inanes sanguinem voluent genæ.
Numquam coire patiar hac venas manu,
Scrutabor vngui vulnera, & saniem extraham;
Non alius imber hos magis luctus decet.
Heu me! per ipsas vrbis ingredimur vias,
Sentio, videmur: verba, quod possum, audio;
Tandemque nostris aliquis ingemuit malis.
Seu Medus ille est victor, & duro quoque
Vel ab hoste pietas exprimit luctus suos;
Siue est Hebræus, voce qui timidâ ingemit,
Spectatque trunci triste simulacrum Ducis;
Siue hunc & illum miseret, vtrumque alloquor.
Mihi dare gemitus parcite, haud pro me queror.
Dies ademptus, & patri ingesta orbitas,
Sed tum videnti: vincla, carcer, seruitus,
Vindicta leuis est; ferre quod merui, fero.
Nil ille lacero moneat è vultu cruor:
Meus est: nocens est: alius hanc vestem imbuit,
Patriumque nati sanguis infecit sinum:
Innocuus aliquid iste virgineum rubet,
Lacrymisque dignum: cæcus hoc etiam scio.
Captiua turba, Filiæ heu! quondam Sion,
Lamenta, lacerum crinibus vulsis caput,
Vestrosque planctus filij insontes petunt,
Non pater iniquus. Perferam hanc molem mali,
Clarisque nimiùm rebus euoluam miser
Perplexa nuper fata: præstabo fidem
Vtrique vatum, ponè victrices rotas
Cùm pars triumphi magna Babylonem inuehar.
Sed non videbo; luce ab amissâ hoc erit
Solamen vnum. NAB. Macte diuinum caput,
Oracla funde. SED. Ludimur? an aures mihi
Violauit

Violauit illinc hostis infandi sonus?
Non ludor; hic est bellua: irarum nouos
uffigit animo redditus stimulos dolor.
it omne rursus, & recrudescit nefas.
Regum tyranne, sæculi exitium, lues,
onniua miles; fortis ad puerûm necem,
ed patre reuincto; sceptra quid fœdas manu?
Non tibi vetustum nobili à stirpe est genus,
Tellure natus regium incestas decus.
olymam tui vincere, post pugnas tuum est,
uerûm cruore ludere, & stratâ super
Bellare mensâ. NAB. Quis mei indicium facit?
uminibus orbi forsitan Apellæ vident?
ED. Viso carentem cetera vt lateant satis,
u non latebis. coge membratim mori
Reliquos per artus, omne quò voces meant
ter recide: non tamen sensum tui
Abstuleris vmquā. Abfiste qui noctem hanc regis,
olus sagaci nare deprendam feram,
rangamq; morsu. NAB. Quin tibi procacē priùs
inguā hanc reuelli iussero. SED. At vultu satis
uam tacens mutusque barbariem loquar.
NAB. Moriere. SED. Quis me compotē voti facit?
Non est tyrannus; moriar: ô lætum diem!
e, te vel vmbra Tartari erumpens specu,
e pater inultus prole cum totâ petam:
tygiamque vibrans propiùs ac propiùs facem,
equar vbique & vsque: nulla nox animum tibi
aciet quietum, nulla securum dies.
NAB. Vmbras minare, spectra quæ cæci vident,
Dum tibi superbo colla prosubigam pede,
iuumque viuus ipse post currum traham.
ura te famuli, tota Babylonem ocyùs
ompa vt sequatur; iste prætentans viam
aculo senili, currui adiunctus meo,
Diadema victi præferat regis notam.
ED. Ibo, ibo, magne Ductor, & fortem manum,
larumque facinus hisce testabor notis.
deste populi, quosque sublimis videt
undi Bootes cardinem ignauum premens,
t queis perustum verticem Phœbus rotâ
ropiore crispat. Nullus hæc taceat dies:
otisque sæclis audiam infelix pater,
um tu tyrannus. Adsit, & vindex notet
Quo te minorem gerere detrectas, DEVS,
umque seruet liberis epulum tuis.

CAROLI MALAPERTII
è Societate IESV
DE VENTIS
LIBER I.

Quo tempestas describitur, quæ Festis Paschalibus in Belgio viciniſq; locis magnâ ſtrage deſæuijt, anno M. DC. VI.

INGENTES ventorum animos, æquataque paſsim
Tecta ſolo, vulſas imis radicibus ornos,
Et maria aggeribus latè exundantia ruptis,
Dicere fert animus. Tenui tu Spiritus aurâ
Alme faue, dexterque meos illabere ſenſus:
Pande mali cauſſas; quo tandem à crimine pœnas
Exigerent Superi: nec enim licuiſſe putandum eſt
Indomitis tantum veſtro ſine numine monſtris.
Lucidus aurato ſignabat vellere menſem,
Romani pridem emeritus dux Corniger anni;
Chriſtiadæ inferias Seruatorique ſepulto
Iuſta dabant, fuſi viduas de more per aras,
Phœbe iterùm reddēte dies, quos ſemper acerbos,
Semper honoratos pleno vehit ardua curru:
Cùm bona plebs operata ſacris luſtralibus, omnem
Eluitur ſcelerum labem, caſtuſque Sacerdos
Victori meritos rediuiuo inſtaurat honores.
Hæc Pater omnipotens cælo ſublimis ab alto
Spectarat placidus, vultu quo ſoſpitat orbem,
Oceanoque hyemes & cælo nubila differt.
Poſtera ſed primo vix effulgebat Eoo
Orta dies, ſtudiis aliò in contraria verſi
Mortales, quò quemque ſuus rapit ardor, honores
Dimittunt & feſta Deûm, curiſque profanis
Inuigilāt. Iuuenū hinc portis globus emicat ardēs
Altus

ltus equis,campoque celer se immittit aperto:
etia torta manu,densis venabula nodis,
uæque suo nomen fecit sibi fistula bombo:
istula quàm meliùs proauis incognita nostris!
ſt animus fixo nota ad diuortia greſſu,
mpauidum ferro pertundere cominus aprum;
ut tacitâ imbelles indagine cingere ceruos,
t timidas agitare feras, Superûmque Deique
osterior cura est; nulla, aut abitura recurſat.
arte aliâ ciues altæ ſub mœnibus vrbis
ut viridi longos metantur in æquore ſaltus,
t iaculo & longè certant fallente ſagittâ:
eu fixiſſe ſcopum placuit,ſeu forte volucrem
xiguam,ſummis quam pertica nubibus infert.
ictori pretium laus eſt; ſua præmia laudi,
rgento patera & cælatis aſpera ſignis,
ut nitidæ ſpolium peregrino ex alite criſtæ.
urba fauet,denſaque viri cinxere coronâ
iſendi ſtudio,pars & certare parati.
licet intereà vacuas Orator ad aras
ncrepitat,creberque quatit ſacra pulpita: rarus
ſcitat auditor,ſomnoque ad ſingula nutat.
ars etiam , obſcuri quæ turba eſt plurima vulgi,
rô ſcelus ! in fœdis totum temulenta popinis
xhauſtura diem,certatim pocula ſiccant
d numerum,verſaque altè ceruice ſupini
nnua iam Paſchæ Chriſtique obliuia potant.
ddidit hinc aliis animos & cornua Bacchus;
eu Bacchus,ſeu pingue zythû;mala iurgia feruet.
rea lymphati eſt permiſta popina duelli,
rma quadræ,cyathi,duræque rigentia teſtâ
ocula,nec tales depromptus culter in vſus.
Mox aliis captatque pedes, linguamque reuincit
nfuſus pater : arcta via eſt,quæ curribus ipſis
mpla patet,caput huc,illuc, & vtroque vacillat;
Obliquum titubata legunt veſtigia Sigma.
Non tulit Omnipotens , iuſtaſq; exarſit in iras.
Vſque adeòne tibi excidimus gens impia, nec te
Relligio vlla tenet ? huc Nati nempe redibant
Et poſiti luctus, & iam ſurgentis honores?
Hac gemitus,hac ſpe lacrymas miſeratus inanes
Dignabar veniâ, vt quæ vix heſterna piaſſent
Sacra,nouis hodie cumulares crimina probris?
Vt mea,quæ potui Paſchalia dicere quondam,
Orgia nunc Bacchi aſpicerem,Circique furores?
Scilicet iſta DEVS tuto ceſſator Olympo

N 4 Diſſi-

Dissimulatque volens,brutisque Ceraunia telis
Nequidquam exagitat, cælo nec fulmina ab alto
Infandum fandumque inter discrimina norunt.
Non ita:quin meritis isthæc iamiã improba pœnis
Belgica dedisces,priùs hanc quam visa recondant
Astra diem : iuuat & nostrum furere ante furorem.
Ite Noti; totas,inbeo,diffundite vires,
Securosque mei nimiùm, nimiumque salutis
Oblitos,memores faciat sua quemque ruina.
Dixit, & in verbo laxo se carcere promunt.
Aeolij fratres,numeroque & viribus æqui.
In Zephyros Eurus,Boreas moturus in Austros,
Frontibus aduersis sese in certamina poscunt
Discordes animæ, iussique diurna pacisci
Fœdera,vix pacti tandem socia agmina iungunt.
Vnum omnes versi in rabiẽ, quà Phœbus anhelos
Hiberno properat sub sidere mergere currus.
Ergo ruunt misti,densique;& proxima frustrà
Aequora sulcantes, nullis tamen imbribus illam
Prætexêre diem,celeres néve humida cursus
Nubila præpediant,siccis sunt faucibus Austri.
Non liquidum cura est assurgere in æthera pennis;
(Lenta regunt,& lenta regant sua flamina nubes,)
Liberior si quas subuexerit altiùs aër;)
Fert furor in terras : in terras impete prono
Incubuere omnes : nec totum ingentibus orbem
Flatibus obuoluunt,nostros,mirabile,fines
Cladibus emensi,posito vel murmure sidunt,
Aut eadem gyro in spatia breuiore recurrunt.
Vt celer ancipiti bellator in agmine Parthus,
Parthus equo fidens,versisque in terga sagittis
Inuictus fugit,& victor, similisque fuganti
Improuisus adest tergo,sequiturque sequentes.
Horrebant magis atque magis stridoribus auræ
Et sonitu siluæ, terrarumque ardua planctu:
Respicio circùm (liceat non vana referre)
Arrexêre comæ,gelidus formidine sanguis
Corda subit pulsans : nec sat rationis in illâ
Mente fuit, fuit illa tamen; visusque minari
Triste aliquid,toruùmque,mali iam cõscius æther.
O DEVS ! ô nullum,dixi,sit in omine pondus,
Dilapsi vacuo paulatim ex æquore ciues
Tuta petunt, Circi ludos & gaudia venti
Vana ferunt,iuuenum cursus librataque saltu
Corpora proturbant : nictat iaculator acuto
Sorticus fortunam oculo,sed mota sagittam
Fallit

Fallit auis, iussum nec seruat arundo tenorem.
Intereà leuibus primùm proludere damnis
Cœperat vrbe furor per culmina summa domorũ,
Ac veluti, totas olim dum colligit iras,
Riualem fremitu sparsáque lacessit arenâ
Taurus, & attrito prurit iam in prælia cornu,
Expiransque fero geminam de pectore nubem
Pascua nota petit: prim's sic flatibus Euri
Triste rudimentum, validæque exordia pugnæ
Exercent agiles; nam quà fastigia iunctis
Conueniunt tignis, & partes desuper imbrex
Amplexus geminas coëuntia tecta coronat,
Moliri incipiunt aditus, stragique futuræ
Arte parare viam, dum sese partibus imis
Insinuant tenui spiramine, moxque reuulsa
Abripiunt, vacuoque ferunt cana tegmina cælo:
Inde alia ex aliis centum; tegulisque per vrbem,
Inuisoque pluunt venti, non Iuppiter, imbre.
Acrior hinc rabies excelsâ mole caminos
Culminibus quatiens agit huc illucque labantes;
Nec valido tantum obsistunt retinacula ferro,
Quin collapsa ruant fumantia denique tectis
Pondera, & ingentes pandant quàm lõga fenestras.
Horum vnum vt fuerat, visu mirabile, totis
Sedibus & summi depulsum vertice tecti,
Restitit integrum; rapido sic turbine ventus
Implicitum tulit, & crebros vbi torsit in orbes,
Fixit humi rectum, toti spectacula vulgo.

Dum procul hæc rerum miror portenta, stuporẽ
Horroremque inter, validi sub fornice tecti:
Fortè puer, vestemque luto vultusque decoros
Fœdatus lacrymis, gressum celerabat anhelum,
Radebatque viæ aduersâ regione latebras;
Nec gemitu, nec sic duro securus ab imbri.
Aggredimur, foribusque volens succedit apertis.
Combibere hinc lacrymas iussus, fariq; dolorem,
Incipit: O caræ, ô frustrà mea cura columbæ
(Risimus, ille iterùm in fletus) quo deniq; planctu,
Heu miseræ! possim vestros æquare labores?
Longiùs à tectis sulco tum pauca recenti
Grana legebatis, nidis implumibus escas:
Hæsistis nimiùm, nimiùmque. Heu dira libido!
Gratior est auibus quoque non concessa voluptas,
Esca domi in promptu est, iuuat indulgere labori,
Seminaque ignotos circùm furtiua per agros
Surripere, ast hodie certè constantia magno,

Horrebat validis ſtridens Aquilonibus æther,
Cùm procul eſſe domo ſenſi mea gaudia: curro,
(Nec tenuit mater) poſtico elapſus, & amens
Perſequor hac illac, per deuia rura, per hortos,
Per ſalebras: at enim nec ſibila nota palumbes
Accipiunt, nec iam ſolito ſe tramite poſſunt
Tollere ſublimes, conatæ plurima fruſtrà,
Vt vaga tranſuerſos dum carbaſus excipit Auſtros.
Nunc humiles tentare vias, nunc æthere celſo
Impetus ire fuit; non hæc, non illa recurſum
Aura dedit, rapiunt aliò in contraria venti.
Illa hirſuta pedem, maculoſa coloribus alas,
Blandula, quæ tactus vltrò affectaret heriles
Sponte manum inſiſtens, dum ſe tulit ardua cælo,
Præcipiti compulſa noto ſaxa horrida contra
Impete colliſa eſt, animamque in nube reliquit.
Hæc quâ non fuerat totâ fecundior vrbe,
Aut dare concuſsis plauſum felicior alis,
Iam propè tuta tenens, ingenti abrepta procellâ
Præda (nefas, ciues!) alieno decidit horto.
Furem etiã in mediis quemquã iuuat eſſe periclis?
O facinus! noui has, Prætor quoque nouerit ædes;
Faxo equidem haud longùm furto lætentur inani.
Talibus ardebat roſeo puer ore querelis,
Multa gemens caſuſque ſuos, volucrumq; ſuarum.
Nempe animos, dixi, tangunt ſua damna minores,
Sollicitos quantum nec regna labantia reges.
  Fert alias longè intereà lateque ruinas
Iam grauior peſtis: non vnam in montibus ornũ
Sollicitant Zephyri, ſiluis extrema minantur
Excidia, aut extrema ferunt; radicibus imis
Mille ſimul quercus ingentia corpora vertunt.
Inſternuntque ſolo, quaſi ſi violentior amnis
Aggeribus ruptis tenues affligat ariſtas.
Vidi ego iam ſolis pomaria conſita truncis,
Brachia habêt campi: mœſti ſua quiſque requirũt
Agricolæ, aut hyemi ſaltem ſolatia duræ,
Aut quos cura ſubit laudatâ ex arbore quondam
Ligno infelici genitalem immittere ramum:
Ver ſauet, & libris oculos inoleſcere tempus.
Et benè, quòd frõdes gemmanti è cortice primùm
Rumpebant tunicas; vmbrâ ſi ramus opacâ
Obſtaret Zephyris, ſiluas & funditus omnia
Vaſta darent, ſeri carpſiſſent poma nepotes.
Heu genus innocuum! gens fraudũ ignara dolique,
Heu miſeri! luitis dominorum admiſſa coloni,

Ecce

alibi prono nutant dum vertice pomi,
ontrà obnixi furcis,& viribus itis.
ftabulis armenta chaos voluunturin vnum:
â tenui congesta mapalia,& ipsi
eo occumbunt intexti vimine muri.
entes verrit culmos, ftipulamq; volantem:
ris at tuguri tantùm non condita busto,
ida subduxit si quæ sua pignora mater,
misera,& passis inclamat crinibus ardens.
ssùm superos,imos; tot vota precesque
erpunt,nulli superûm exaudita, procellæ.
ec minùs vrbanas venti grassantur in ædes,
Funduntque solo,quamquam sua mœnibus altis
Culmina condensant, numeroq; & mole tenent se.
Olli indignantes magno cum murmure circùm
Vestigant aditus,paruisque datura ruinam
Culminibus latè turrita cacumina sternunt.
Sequanicæ quondam fuerat conterminа ripæ
Belgica,nunc contenta nouo discrimine,Ponto
Extremos hominum Morinos, Francoque ruenti
Obiicit Atrebatum, duris iam nobile bellis,
Ausoniis cinctus Cæsar cùm Iulius armis
Gallorum edomuit fortissima pectora Belgas.
Christiparæ hîc templû solido de marmore surgit,
Relligione potẽs,donis,& numine Diuæ: (retulsit
Templum augustum,ingens;vbi quondam in nube
Nocte super mediâ,& cæli de vertice Virgo
Ferre facem visa est,diræ medicamina pesti.
Arthesios passim populos sacer ignis edebat:
Fusus humi Antistes Superos in vota vocabat,
Mortalique manu donum immortale recepit.
Inde (fide maius) tot ceram in millia fudit,
Tot fudêre alij deinceps, funduntque minores,
Auxilia in varios hodieque salubria morbos;
Virgineum tamen illibato pondere donum
Semper idem, semperq; nouum tot sæcula constat.
Hac pariter casti seruarunt æde nepotes
Quod pluit,& glebas olim fecundat inertes
Manna (Stridonensi iam tum res cognita Patri)
Rigiacos diro vitiat cùm sidere campos
Agricolis inuisa lues,& letifer annus;
Ni Superûm rector duros miseratus agrestes,
Frugiferam molli stipasset vellere nubem,
Misissetque satis : quales struit vndique floccos,
In tenues bombyx cùm sese euiscerat artes:
Tantus amor docti est operis : vix pollice Seres
Argute

Arguto relegent fila impermixta puellæ:
Tale fuit, quod Manna pij dixêre coloni.
Partem adytis posuere sacris, atque orbe remenso
Festa redit veteris semper noua gratia facti.
Templum olim magno positū molimine ad auras
Arserat, & vasti per tigna calentia tecti
Tum quoque voluebat scelerata incendia Caurus.
Nunc iacet excelso planum pro culmine culmen,
Nec tegulas pudet ingenti mutasse metallo :
Ardua murorum tamen hinc fastigia, & illinc
Restiterant, flammæ saltem monumenta nefandæ.
Hæc quoniam nudo superabant vertice, celsis
Ardebant validi detrudere sedibus Euri;
Occiduosque adeò templum quà spectat Iberos,
Magna ruit magnam cuspis factura ruinam.
Tecta, trabes nexæ, quà vi, quà mole fatiscunt:
Mox gemino fornix venientem pondere pestem
Non tulit, & victā terram compage petiuit:
Dat gemitum tellus, cælum tonat omne tumultu;
Immissis Boreas liber bacchatur habenis,
Puluerearn glomerans augusta per atria noctem.
Quò ruitis furiæ ? si crimina nostra piatis
Vltrices, huc vsque licet : quò tenditis vltrà
Sacrilegæ? damnis animos (si tanta libido est,
Et furere vsque placet) damnis satiate profanis.
Heu mala ! deuoto rabies truculentior igne,
Qui veteris quondam depastus culmina templi,
Horruerat temerare sacræ penetralia sedis.
Parte aliā mediæ turris circùm imminet vrbi.
Non tulit vlla caput cælo concinnior vsquam:
Martius hinc resonat terror, pridemque videri
Francorum solitæ hinc acies, & candida signa,
Dum gererent magni quondā bella horrida Reges:
Nunc stabili (ò melius!) iunxerūt fœdere dextras,
Connubio pariter mixti, geminisque hymenæis.
Vertice sublimi quà marmora nexa coronam
Immensam coëunt, nodum & curuantur in vnum,
Stat Leo, monstrū ingēs, qui ferrea, quātus & ipse
Ferreus, aduersos vexilla obtendit in Austros.
Scilicet hîc rabidæ stridunt immanè procellæ;
Hîc Notus, hîc Aquilo, hîc alij, ceu cætera nusquā
Bella vocent, omnes cuneum addensantur in vnū.
Vicini excessêre adytis, quibus ardua turris
Desuper impendet, trepidi quò pondere vergat,
Quam ruat in partem : miseris illa vsque minatur
Exitium, iam iamque dabat, nisi vertice ab alto
Laxasset

Laxasset sua signa Leo victoribus Austris,
Hastile inflexum, & dextram miratus inermem.
Longa procul longè vexilla abrepta metallo
Instrauêre viam; repetitis passibus æquant
Attoniti ciues pandi tria iugera ferri.
Ergo aliò vertêre aciem, & victricia venti
Agmina; vicerunt quia sic vicisse videntur.
  At non aërijs alibi fera murmura pinnis
Temnere sorte datum, & tanto superesse periclo.
Quid Nerui ? quid Athum Hannoniæ meruistis
    Athenæ?
Quid Grudiæ summi mulctatæ culmine tecti?
Totque aliæ truncis fœdatæ turribus vrbes?
Nec vos, ô patrij Montes, pietasque fidesque
Defensos dederint; vellent pietasque fidesque.
  Flebat Athum, flebant Grudiæ tua funera Musæ,
Iuste ô Pieridum iustissima cura Sororum,
Belgarum decus ô Lipsi ! sed morte quietus
Componi placidâ, nec in hos superare fragores
Debuerat Iustus, quo pacis amantior alter
Non fuit in Belgis, nec Pallados induit arma.
Hannoniæ violas, Grudiæ date lilia Athenæ;
Non alio posthac tantum surgetis alumno.
  Est vbi perfractis rabies se insana fenestris
Subter tecta ferat, totamq; à culmine molem
Corripiat sursum, vacui ludibria cæli.
Attoniti trepidant immissâ luce penates:
At Zephyri (testata loquor) tectumque trabesque
Aut medio posuêre foro venalia, notis
Aut procul à muris sublimè volantia portant
Insuetum per iter, penitusque in valle recondunt.
  Hic vbi defixâ miles vigil excubat hastâ,
Sortitusque vices & propugnacula pernox,
Perdius, æternâ muros statione tuetur,
Parua domus steterat, subitos munimẽ ad imbres:
Quales, dum patriam voluit totosque penates,
Lapsibus impositas agit armentarius Afer.
Deseruêre alij malè fida mapalia, solus
Inque casâ celsoque audebat ab aggere VVallo
Increpitans dictis vrgere procacibus Austros.
Non tulit hoc animis tantumq; audere protervum
Dudum indignatus Boreas, tectumq; virumque,
Horrendum infrendens, muri cum parte reuellit.
Nec satis : incumbit lapso, pronumq; supinumq;
Insanos rotat in gyros, nunc desuper vrgens
Præcipitem barathro, nunc alta ad sidera raptum
Alternis

Alternis tollens: postem ille amplexus & hærens
Vsq; tenet, tenuitq; (animos timor ipse ministrat)
Et tandem incolumis campo subsedit aperto.
Vix caput attollit, titubant vertigine sensus,
Ignotusque sibi ignotam circumspicit vrbem.
Inde sui sensim memor, ingratusque salutis;
Debeo nil vobis. dixit, mala murmura venti;
Perdere quem vultis, nimiùm seruastis iniqui.
Tu quoq; Magne Ducũ nostros Henrice tumultus
Hausisti propior, cùm bello & sanguine nullo
Arma manu posuit Sedanum, culpamq; probrumq;
Henrico (hoc vno poterat) victore redemit.
Vidisse, & vicisse fuit; tantum instar in illo est.
Non tamen hæc fuerat trucibus reuerentia ventis:
Tu quoq; Magne Ducũ stragis pars magna iaceres
Esseda ni prudens vitares. Esseda semper,
Esseda vitares, Henrice! hoc ipse monebat
Sequana, deiectos placido cùm gurgite Reges
Agnouitque suos, & castis reddidit vndis.
Ah miserum! in quantos seruabant fata dolores
Pectora, tot pugnis, tot frustrà erepta periclis,
Pectora deuoto nimis, heu nimis obuia cultro!
His magis atque magis furiæ successibus ardent.
Exultantque alacres: palantia qualis in armis
Agmina proturbat, totoque agit æquore victor.
Sternere tecta piget; Superũm ni cura resistat,
Diluuio maria ac terras miscere laborent.
Belgica quà gelidam iacet inclinata sub Arcton,
Oceanum & crebris habitant freta consita terris
Mattiacusque ferox, & iam tersâ aure Batauus:
Ponto alibi Natura parens sua littora fecit,
Aut rupem, aut latè tumulos squallentis arenæ:
Vix humiles illic monstro allatrante tuetur
Incola, vimineo quas condidit aggere ripas.
Sæpè domum salsâ madidas aspergine vaccas
Pastor agit; sæpè exiguæ medio æquore terræ,
Quoquò aciem flectat, pontum vndique, & vndique pontum
Prospicit assurgentem, & cærula colla tumentem.
Securos faciũt tamẽ hæc quoq; murmura somnos;
Tanta sui, tanta est operum fiducia genti.
Et videt, & furias agitur Neptunus in omnes:
Rusticus hæc semper mea regna colonus habebit,
Illudetque diis, nostroque impunè tridenti
Improbus? at non hæc hodie patiemur inulti.
Dixerat: & triplici confertos cuspide fluctus

Impiger exstimulat, simul hoc, simul incitat vltrò
am coniuratos ripam conuellere ventos.
Terrarum exitio geminæ cælumque salumque
Agglomerant pestes, animos dant flatibus vndæ
Crispatæ alternis, animos dant fluctibus auræ,
ngentique ferunt cumulo, mox alter & alter
Arietat in laceras immani pondere ripas.
Nequidquam agricolæ, quà moles victa dehiscit,
fascibus instaurant, intruso & cespite rimam.
Nempe alibi sæuo adnixus Pater ipse tridenti,
Nereidum Phorcique chorus, totq; humida ponti
Numina damnatum certant rescindere littus.
Seu cùm summa dies, atque illætabilis horror
Extremùm miseros vocat in certamina ciues;
Hic simulant, vanisque vrgent assultibus hostes,
Hic trepidâ obsessi murum cinxêre coronâ:
At iuuenum furtim lectissima corpora ductor
orritus, tacito compleuit milite vallem,
nuisusque subit diuersæ mœnibus vrbis,
Arma manu exitiumque ferens. sic territat illinc,
Hinc ferus incautos Neptunus inundat agrestes.
Egregium verò & facti memorabile nomen,
Victa dolo centum si rustica turba deorum est.
t mare in ignotos effuso gurgite campos,
agmine conuoluens magno ripásque, virósque,
Culmináque, attonitasq; feras, siluamq; reuulsam,
Et pecus, & stabulū, stabuli pecorisq; magistrum;
Omnia pontus habet, salsaque voragine versat.
Naufraga per tumidos iactantur corpora fluctus:
Tum quoq; complexu implicitæ (miserabile visu)
pignoribus matres, nec mors pia vincla resoluit.
At non vsque adeò Belgas exosus ad vnum
Omnipotens genitor, totam vt pessumdare gentem,
aut sinat ire truces extrema per omnia Cauros.
Millia tot puras tollunt ad sidera palmas,
Tot Patriæ precibus pacti votisque salutem
ollicitant Diuos, onerantque altaria donis.
Vincitur, & vinci Patris clementia gaudet;
Attonitosque adeò populos miseratus ab alto,
am placidus, Furias, inquit, compescite venti:
rarum satis est: satis ista superque notarint
Excidia æternis Pascha indelebile fastis:
rosit & hoc olim doctos meminisse nepotes.
Dixit, & inuiti posuêre ferocia sensim
Corda Deo mulcente Noti: latebrisque relictis,
Quisque suas relegit, pronâ iam luce, ruinas.

CAROLI

CAROLI MALAPERTII
è Societate IESV
DE VENTIS
LIBER II.

Quo de Ventorum origine & progressu disseritur.

HACTENVS insanæ furias stragemque procellæ
Horruimus pauidi: liceat nunc denique longo
Soluere corda metu, rerumque per abdita ductos
Scrutari extremâ ventorum ab origine caussas.
Dicite Castalidum lectissima turba sororum,
Quis furor in tantum tenues exsuscitet iras;
Quid molli faciat duros in corpore motus.
Dicite; fas vobis caussas penetrare latentes,
Cælestes animæ, miseræ nil lucis egentes:
Nos dubij rerum, cæcisque ambagibus acti,
Prætentamus iter, densisque erramus in vmbris.
Corpora quæ primùm stabili compage reuinxit
Ponderibus distincta suis, magna hospita magnam
Mens habitans molem, totos illapsa per artus
Vna eadem variis animat virtutibus orbem:
Ac veluti (si parua licet componere magnis)
Cùm numerosa sonat docto sub pollice syrinx,
A tergo famuli folles tolluntque sub auras,
Alternisque premunt; immissus voluitur aër
Transtra per & forulos, spatiisq; elapsus iniquis,
Disparibus vocem calamis animamque ministrat.
Sibilus argutùm garrit, tuba clangit acutùm,
Mollior immemores rapit ærea fistula sensus;
Tardior incessu Diuûm per tecta remugit
Bombus, & admistâ modulos grauitate minores
Sustinet; adloquitur vocum concordia discors.
Non aliter mundi varios Mens fusa per artus,
Impigra

Impigra diuersum, quæ cuique est indita virtus,
Vrget opus: quantumque vsquam Natura creatrix
Parturit, auxilio, & præsenti numine firmat.
Huic ne igitur tantos ventorum adscribere motus
Et vires placeat, totum vt conuoluere pontum
Et spatia immensam possint diffusa per æthram?
Ipsa quidem inter se multa vt prælia misceant
Corpora, seu calidis presso pede frigida pugnent,
Seu discreta locis sine pondere habentia pondus,
Motibus aduersis summa ima ruantque ferantque;
At quoniã immenso tantum sese æquore pandit,
Qui propior terris mundum circumfluit humor,
Aeriique sinus, quantum nec maxima possit
Fundere se virtus, quam noxia corpora tardant;
Corpora magna cient, campisq; liquẽtibus vrgent,
Aut DEVS, aut nullo concretæ corpore mentes.
Ni faciant longo putrescere tanta necessum est
Corpora lenta situ, vitiumque affundere viuis.
Ergo leues agitantque auras, & tota reuoluunt
Æquora, disiectasque vetant inolescere pestes.
Nam quid opus vnum toties damnare laborem,
Et refluì maris obscuras tentare latebras?
Quas malè tot sæclis infelix cura Sophorum
Persequitur caussas, scis ipse, & scire fateris,
Non satis ancipites Naturæ euoluere cursus.
Vsque adeòne piget propiùs res visere nostras
Cælestes animos, cælo vt lucentia ducant
Sidera sublimes, temnant mortalia? non hæc
Iussa dedit Rex idem hominũ Diuũmq; repertor.
Quin potiùs (sic vera canunt oracula) nobis
Voluitur, & rerum series immensa laborat.
Sic saperet quondam, quisquis fuit ille Sophorum,
Qui miser Euripi refluo se mersit in alueo.
Nunc quoque scitatur caussas ignarus; at amnis
Itque reditque viam, & manes sub gurgite versat.
Si tamen Oceani tam certã lege regressus
Hactenus imperiis varium & mutabile semper
Luna regit, neque vim occultã terra ipsa retundit
Quanta potest, & quanta iacet, cùm verterit orbẽ
Vesper, & oppositis noctem quoque diuidet Indis;
Cur non aura suos æstus, sua sidera norit?
Has equidẽ & Zephyris genus altũ accersere cælo;
Nec fuerint patri indecores, seu Iuppiter illis,
Seu Saturnus erit genitor, seu sidere ab vno
Ventorum nequeunt discordia semina nasci.
Ecquid enim potiùs? nec cælo ardentia desunt

O Lumina

Lumina, nec quisquam hæc, vt sint figmenta, refellat.
An celeri potiùs rapitur vertigine Olympus,
Instigatque Notos, conuoluitque æthera secum?
Vt teres intortâ turbo dum fertur habenâ,
Dant animos pueri, pendentque in verbera circùm,
Ictibus ille ferox procursu concitat auras,
Et totidem implicitas secum contorquet in orbes.
Forsitan & ventū terræ omniparentis alumnum
Crediderit quisquam, & prisca est pro teste vetustas;
Fama licet longis propè nunc aboleuerit annis.
Namque vbi terrigenas immania corpora fratres
Ignibus Altitonans, & montibus insuper altis
Obruit: antiquos necdum satiata dolores
Magna parens, luctuque nouo iam saucia pectus,
Ne tamen hos Superi tantùm iactate triumphos,
Sunt fecunda mihi bellorum viscera, dixit:
Mõstra dabo, fratresq; alios, quibus æthere ab alto
Gorgoneam frustrà prætenderit ægida Pallas;
Ausuros ipsumque Iouem, tela inter & ignes
Fulmineos, liquido pauitantem impellere cælo.
Nec mora, qui cæcis olim torpebat in antris,
In Zephyros vapor omnis abit; maternaq; primùm
Circū claustra fremunt mõstra indignata tenebras;
Aeternis trepidat concussus sedibus orbis,
Succutiunt quoties imis fera terga cauernis.
Ipsa parens partu in tanto gemebunda laborat,
Visceribusque Notos exspirat ad æthera ruptis
Iam validos, iam iamq; hyemes miscere paratos.
Inde ferunt pigrumq; lacum graueolentis Auerni,
Aetnamq; Liparámq; & celsâ mole Chimæras,
Totque alibi nigrâ patuisse voragine fauces:
Quas modò vel flammis incendere nubila cernas,
Aetheriis Stygios dum miscent ignibus ignes;
Nunc sonitu mistam horrendo glomerare fauillā,
Turbinéque, & saxis cælum pulsare reuulsis.
Talia fama recens, nec nostro antiquior æuo,
Exhalasse Erebo cinerem spiracula narrat,
Hîc vbi non vnum densâ caligine solem
Puniceæ nubes cælum eripuere diemque
Maurorum ex oculis; Phœbum quoque primus adorat
Maurus ad Auroram, trans & Garamantas & Indos,
Gens effræna virûm; per ludum spicula vibrant
In

n latus innocuum, nocituraque toxica miscent:
Nulli fas tutò sceleratam insistere terram.
At meritas Superis pœnas, & digna scelesti
Supplicia expendunt, quoties Acheronte sub imo
Tartareos Pluto iubet expurgare caminos
Tisiphonen dirarumque agmina tota sororum.
Illæ instant operi haud segnes, pallasque reuinctæ
Sanguineas, dextrâ horrendum posuere flagellum,
Partitæque locum, quà se suspectus ad auras
Faucibus exesis aperit, cinerem, cineremque
Sulphureum eiectant, torquentque liquentia saxa:
Intremit, & tantâ penitus vi Maurica tellus
Ictibus assultat, refugitque exterrita Thetys.
Intereà siccâ ningit cælum omne pruinâ,
Exæquatque vias tectis, pecudumque per agros
Obruit, & busto viuentia corpora condit.
Parte aliâ antennas ventis intendit Iberus,
Præcipitatque moras, remis adnixus & aurâ
Hospitium infidum & pollutam linquere terram.
Nec fugit ille fatis; remos, & lintea puluis
Degrauat, inuisoque gemit sub pondere puppis.
Nempe alios olim caua robora fundat in vsus
Nauita, nec cineres immensa per æquora vector
Uerit extremi quæsitum è finibus orbis.
Est vbi præcipiti tellus abscessit hiatu
Leta vterum, semperque Noto fecunda recenti:
Non impunè feret, si fortè lacessere saxo
Ausus erit quisquam, pro saxo namque procellam
Continuò reuomat, typhumq; immanè frementē.
Heu fuge quicumque es; nullum te seruet asylum.
Quin vbi pacato siluerunt æthere venti,
Ilustrarúmque comis campisque patentibus aër
Incubat ignauus, cælo æquora tota quieto
Dissiliunt, penitusque vadis excita profundis
Unda furens æstu mistas eructat arenas.
Nempe per occultos imæ telluris hiatus
Hinc sese immittunt Zephyri, & dum tendere ad auras
Cogit amor lucis, pontum versántque ruuntque.
His ergo è latebris forsan cælique marisque
Perflantur liquidi, quaquà patet area, tractus:
Nam si immota locis non tantùm mole suâ stant
Æquoraque & terræ, quin subdita flamina latè
Equoraque, & terras, sursum eluctantia vibrent;
Quidni agitent totis per purum immissa quadrigis
Ponte leues auras, nimiumque volubile corpus?

Nec te prætereà tacitum, aut tua dogmata Musas
Magne Stagirites vnquam celebrasse pudebit.
Hoc erat alma mihi dudum quod vellicat aurem
Melpomene : Potuitne tibi tuus ille Magister
Excidere ingrato Sophiæ qui maximus auctor
Nuper erat ? Parce ô, dixi, mihi maximus ille,
Musa, fuit nuper, sed erit mihi maximus olim.
Nũc quoq; nõ temerè est magni quòd sẽsa Sophi-
Condita seruabã summã dicenda Camœnã. (stæ
Tempora qui rebus statuit metásque caducis
Phœbus,& ardenti collustrat lampade terras,
Lumine frigus iners,& mundi decoquit humorem,
Aetherium inspirans aurai simplicis ignem.
Nec parulo salsos tantùm bibit æquore fluctus;
Sed tenues subit in venas,& hiantia laxat
Spiramenta,leuis veniat quà fumus ad auras.
Humidus in grauidas glomeratur frigore nubes:
At calido cursum qui semine siccior vrget
Ventus erit,medio cùm frigus in æthere contrà
Agmina densabit,Zephyrumq; retundet anhelum.
Cui sua spondebat iam cælum & sidera virtus.
Hoc cauet,atque aditus obiecto frigore prudens
Iuppiter obuallat,superique impunè quieti,
Supra hyemis Boreæq; minas,lenta otia ducunt.
Inricat ille ardens iterùmque iterùmq;, sed altos
Acris hyems animos latè intersusa coërcet.
Ergo latus petit indignans , camposque liquentes
Turbat agens secum,quà pronior impetus : vt cùm
Oppositos frustrà in scopulos impegerit amnis,
Spumea saxa sonant, suaque in vestigia retrò
Vorticibus redit,illisumque reuoluitur agmen:
Gurgite mox ruit obliquo,cæcumque per imas
Quærit iter valles. Cursu non segnior illo
Curuatis ventus spatiis supera alta pererrat:
Orbe sed in tanto possit via recta videri.
Ac velut exiguum nullo qui nomine fontem
Pauper aquæ riuus saxa inter garrula linquit,
Hinc socias atque hinc paulatim conuocat vndas;
Fitque deûm de gente aliquis, seu turbidus Ister
Seu Tybris pater , aut Rhodanus , Rhenúsve bi-
cornis,
Vorticibusque minax pontem ripasque recusat,
Quem facili auderes quondam transmittere saltu:
Sic tenui primùm ventus qui sibilat aurâ,
Alludensque alibi foliis innoxius ibat,
Post etiam validis metuendus inhorruit ornis.

Si tamen augescunt animis vt cursibus Austri,
Atque vbi iam nostrum dimorunt aëra, nostro
Proximus, huic deinceps alter succedit, & alter;
Iam quis erit modus ? an series æterna mouetur,
Atque alia ex aliis numquam reditura trahuntur
Corpora in immensum? redeántne voluta per orbē
Vna eadem, totas ventorum vt sibilus omnis
Circumeat terras? num mundi extrema vacillant,
Et spatiis nutant his alternantia & illis?
Si vacuum cæli propiùs connexa putamus,
Atque alibi mixtum, quo corpora pulsa subintrēt.
Hîc mihi de nihilo quis credat? nascitur ingens
Historia, & nulli vatum celebrata priorum:
Aggrediar tamen; & qui te malè scrupulus angit,
Eripiam paucis, si quid mea carmina possunt.
Ante chaos ternamque Hecaten, & quidquid vbique est,
Extra anni solisque vias iacet area, cœlo
Altior & superis, nullus quam circulus ambit,
Nullum habitat corpus: loca noctè silentia latè
Cimmeriæ obnubunt tenebræ, tenuesq; per vmbras
Et Nihil & Vacuum fuscis circumuolat alis.
Hîc, dum corporeis visum est excedere ab oris,
Idcreæ puro spatiantur in æquore mentes,
Et stadia & cursus signant; si credere dignum est.
An potiùs vigilum sunt somnia vana Sophorum,
Vrgere dum gestit mens extra corpora, seque
Ipsa sibi pugnaos, tenebroso in corpore versat,
Veráque, atque aliam fingit trans sidera noctem?
Hîc ego crediderim bellare duella Thrasones,
Agminaque & totas vento difflare phalanges:
Hîc habitare animos, portâ quos mittus eburnâ
Somnus inops rerum, & mentis mala gaudia pascunt;
Aut quibus ad viuum insedit febris acta cerebrū:
Cùm simulacra vident mitis malè compta figuris.
His solitum in spatiis Phœbi conscendere currus,
Cùm soles geminos, cùm bis Cadmeïa Pentheus
Mœnia miratur; furiisque agitatus Orestes
Nequidquam vltrices ferro diuerberat vmbras.
Ecquid enim in nihilo & vacuis discurrere campis
Posse rear, nisi Nil ipsum ? nam mobile nullum
Aptius inuenias, nihili quando æquor arandum est.
Quisquis enim censes corpus per inane cieri,
Fare age, quæ nihili partes ? vbi sistere motum,
Vnde venire iubes ? cursus quicumque paretur,

Carceribus, metis, spatio medio, atque supremo,
Credo opus est: sed enim in totidem dispescere campi
Iugera qui poteris Nihilum, cui non fuit vmquam
Aut agri modus, aut census? quóve obsecro dices
In Nihilo partem à primâ differre secundam?
An re aliquâ? verùm nihili pars vtraque nil est.
An nihilo? vt possit primâ de parte negari, (es,
Quod nequeat de parte aliâ? næ sic quoque frustrà
Namque age, si primæ nonnulla negatio quadrat,
Non tamen & reliquis; certè his, nolísve, velísve,
Conueniet res ipsa, nequit quæ iure negari:
Atque adeò nihilum esse aliquid te iudice fiet.
Nec minùs ille animi est falsus, qui corpora fingit
Corporibus disiuncta magis distare minúsve,
Maiore vt vacuum, aut breuiore abscesit hiatu.
Scilicet inter quæ nihil est, distare putabo;
Et nihilum nihilo credam fas dicere maius.
Hoc vetuit (ni mens multorum læua fuisset)
Naturæ ille sagax Genius, quē audire magistrum
Iure soles, imum nihili, nihilique supremum
Cùm diuersa negat; quando interualla locorum,
Et spatia haud aliud censet, quàm corporis ipsam
Molem interiecti; vario vt sub nomine res sint
Vna, interuallum, spatium, distantia, corpus.
At tibi pro meritis Superi plagose rependant
Grammatice, à doctis primus qui transfuga castris
Commento longè digressus in auia longo es,
Plus totâ exerrans cæli regione per vmbras,
Per tenues Nihili tractus, & tristia regna.
Quisquam hodie vanum auctorem per inane secutus,
Damnata instaurat vigilantū hæc somnia? quisquam
Internos fingitque locos, clauoque trabali
Partibus in nihili immotis firmare laborat?
Vos quibus à vero nondum hæc in ludicra mēs est
Versa retrò, vulgi, quos nondum fascinat error,
Corporeis, moneo, tantùm ne fidite spectris.
At geminas rerum pestes, Vacuúmque, Nihilque,
Porticibus, totoque Sophi proscribite ludo.
Hoc velit, & magno Natura optauerit emptum:
Odit enim vacuum alma parens cane peius & angui.
Eluditque dolo monstrum, aut vim viribus exit,
Insidias si quando aut vim molitur apertam,

Et

Et vetitis rerum tentat se immittere regnis.
Vidisti nitidum in marmor cùm fortè lacunas
Verterit adstrictas Boreæ penetrabile frigus,
Vt solidæ absistant vasorum in fragmina crustæ?
Quin si aditum flabris, & hiantia clauseris ora,
Quà ducunt animam folles, næ brachia frustrà
Intendis diuersa, sinusque extendere certas;
Dissiliant priùs. hostiles nempe optima bello
Natura insidias, vacuumque irrumpere sensit.
Nec putat indignum, natorum corpora mater
Si laniet; tanti est informe auertere monstrum.
Nemo igitur vacuos cæli trans lucida fingat
Templa locos, mundi per quos nutantia ventus
Mœnia disiiciat: mundum hæc immota coërcent,
Nec vis vlla queat propellere sedibus orbem,
Si nusquam sedet, & nusquam est quò tendere possit.
Nemo iterùm sapiens vacuum citra ardua credat
Sidera, lucentemque Hecaten, quò mota recedant
Corpora; quin potiùs nusquam vt consistere pessi
Exosæ liceat, contra quàm pondere vergant
Aut sursum grauia, aut tendant leuiora deorsum.
Inde putant, quorum melior sententia menti,
Longiùs impelli quæ vi proiecta feruntur.
Vt cùm excussa procul Balearis verbere fundæ
Saxa inimica volāt, liquefacti aut pondera plumbi.
Nam teretem quisquis circum caput egit habenā,
Aëra vicinum mouit, qui turbine facto
Impulit ipse alium, atque alias hic incitat auras.
Nec minùs intereà Naturæ sedulus ardor,
A tergo spatium pulsi dum corporis implet,
Longiùs extrudit, cœpit quodcumque moueri.
Vt nequeat sonipes cursu iam effusus anhelo
Sistere continuò iussus; nam longiùs auræ
Inuitum impellunt, dum primas audit habenas:
Non aliter quoque dia parens vim sufficit Austris,
Corporibus dum ponè sequax fugientibus instat.
Confertis acies veluti cùm fertur in hostem
Ordinibus, premitur pede pes, truditq; virum vir.
Ac veluti placidæ per stagna immota paludis,
Inclusus vapor ætherias cùm surgit ad auras,
(Seu pueri turbant iniectis æquora saxis)
Scinditur, inque sinus curuo sese agmine fundit
Vnda vndam fugiens, alternique orbibus orbes;
Inscia miratur numeratque volumina pubes:
Mobilior sese plures sic aura per orbes

Cingnat vndanti similis, cùm flamine ventus
Impulerit tenui; & quoties nouus impetus ornos
Verberat allapsu, perque interualla remugit
Africus, aërios posśis tot dicere fluctus.
Non tamen aut spatium ventus sine fine pererrat,
Aut redit in sese, spirisque ingentibus ambit
Solis vtramque domum: gelido nam sæpè sub axe
Hic Boreas furit, aut siccis perflantur ab Euris,
Africa dum Zephyris pluuioque madescit ab Austro.
Vtque duo immensum permensi fluctibus Isthmum
Oceani incurrunt; aut magno sulphureus Nar
Miscet agens fluuio nomen periturus & vndas,
Seque alio flauum mirabitur agmine Tybrim:
Sic Boreas illic verso fit nomine Caurus,
Degeneransque loci in vitium, geniumque superbi
Victoris, tepidis pestem pulmonibus afflat.
Fac tamen & nullos inter se motibus Austros
Oppetere aduersis; fessi quandoque resident.
Nempe etiam monstris dixit sua fata Deûm Rex;
Quique capit vires, vires quoque perdit eundo,
Et tenuem exhalans vanescit ventus in æthram.
At dum feruet hyems, & plenas spiritus Euris
Sufficit in buccas, illic se densior aër
Cogit in angustum, quò compulit impetus auras;
Parte aliâ laxatque sinus, laxosque relictum
Explicat in spatium. Naturæ prouidus auctor
Has artes docuit, queis tenuia corpora cedunt
Succeduntque alijs, vacuumque à finibus arcent.
Hac mihi Musa tenus tantæ solatia cladis,
Hoc saltem, vires animumque in carmina fecit.
Plura velit, sed plura negat fas discere quemquam:
Namque, ait, ipse DEVS thesauris condit in imis,
Promit & inde Notos; at quâ ratione, quibúsve
E rerum latebris, quærunt, quærentque Sophistæ.

CA-

CAROLI MALAPERTII
è Societate IESV
CHRISTVS PATIENS.

ELEGIA I.
Cœna vltima.

MVSA quid huc properas lugubri in syrmate? frustrà es:
Non facit ad luctus nænia docta meos.
Huc lacrymæ, huc densi sine lege, sine ordine plan-
Ad numerum tantus respuit ire dolor. (ctus:
Formosi luctum Ionathæ Iesseïus Heros
Fatidicæ posset fallere voce lyræ.
Ad numerum gemitus Solymæ inter busta profun-
Lamento Vates nobilis ille suo. (dat
Compositis fac posse modis mortalia plangi
Funera, cùm flendi de grege turba sumus.
At numeros frustrà, modulosque in morte requiris,
Quæ caret exemplo, quæ caret vna modo.
Scilicet arguto cane carmine; flebile quando
Christus ab infami stipite pendet onus.
Ah! meliùs Domini obtutu defixus, & hærens,
Liquerer æternis attenuandus aquis.
Sanguineas aut mî lacrymas IESV elice, toto
Si tibi sanguineum corpore flumen ijt.
Tuque adeò quicumque meos bibis, ingeme mixtis
Questibus; hîc agitur res tua, quisquis homo es.
Non sola est Iudæa nocens; nos cædis iniquæ
Præbuimus caussam, præbuit illa manum.
At tibi si tanti est mœstam quoq; iungere lessum,
I, patior, lacrymis præcine Musa meis.
Præcine vel frustrà: post raptum funere Christum,
Iam minimum nostri est perdere verba mali.

FESTA aderant, agni properataque fercula tosti
Et qui lege volunt azyma crusta dies.
Cura fuit patrios seruari ex ore ne ritus,
Impleri & rebus symbola prisca nouis.
Discipuli Paschæ præeunt pars iussa parando,
Pars Domini cingunt ambitiosa latus.
Ignotam venëre domum, data signa secuti,
Et sibi non stratis accubuêre toris.
Hîc vbi tot ritus antiquatura cruentos
Vna tot antiquis victima maior erat.
Mira canam; procul impuri, procul este profani:
Vera canam, veri vix habitura fidem.
Magnus vbi præiit tunc primùm verba Sacerdos
Mystica, mortali vix referenda sono:
Panis abest viuos Christi conuersus in artus,
Et quæ nota putes pocula, sanguis erant.
Certa fides, fidei quam firmat idoneus auctor,
Quæ posuit rerum soluere iura potens.
Nunc quoque conuiuas idem indiuisus in omnes
Diditur, orbiculo dissimulante Deum.
Diditur, & totis tot per miracula sæclis
Aeternum ipse sui pignus amoris erit.
Proditor intereà sceleratus prodere pergit,
Ipse palàm certo proditus indicio;
Dum ventura suis Christus fata ordine pandit,
Et quo quodque ferant, quo fugiántve modo.
Præscius ergo mali cupidusque, nouissima Matri
Verba facit; Solymæ nam comes illa fuit.
Arctiùs extremis Nati complexibus hærens,
Vix tulit acceptum reddere Virgo vale.
Si merui sperare, feram hunc ego Nate dolorem,
Dixit, & in gemitus vltima verba cadunt.
Immeritos sed ferre iuuet, quod ferre necessum est;
Nam tibi nec merito mors venit illa tuo.
Tu quod ferre iubes, animo da ferre volenti,
Magne Pater; sequimur quò tua iussa vocant.
Ergo vale: figit lacrymis humentia Nato
Oscula, maternis miscuit ille suas.
Macte animi, dixit, tantillum hoc robore Mater
Optima, vix ternis orba diebus eris.

ELEGIA II.

Oratio in Horto.

NOX erat, inq; vicem plenis tũ cornibus ibat
Cynthia fraternis æmula luminibus.

Surgi-

Surgitur, & tacito comitatus ab agmine Christus
  Scandit Olìueti quæ iuga nomen habent:
Hortus vbi, à Solymis paulùm iam colle reducto,
  Vmbriferisque frequens surgit oliua comis.
Secessum hîc lacrymis, & amica silentia nactus,
  Innocuas supplex tollit ad astra manus.
Vt subiêre animo pœnarum mille figuræ,
  Sputa, flagella, alapæ, vincula, spina, cruces;
Vt scelerum facies spectra horrida circumspexit,
  Cunctaque in insontis crimina missa caput;
Ingemuit tristi mentem formidine pressus:
  Si videas, scires indoluisse DEVM.
Imbre fluunt oculi, reliquos it sudor in artus;
  Sed lacrymæ sanguis, sudor & ille fuit.
Magne Pater, dixit, poterat tibi sanguinis haustum
  Esse satis, Nati si fuit ille tui.
Ferre extrema iubes? hi sunt extrema dolores:
  Pænè fugit tanti vita timore mali.
Si tamen est sudasse parum, fundique cruorem
  Innocuum flagris vulneribusque placet;
Nulla mora est: etiam post funera, si quid in imo
  Pectore erit reliquum, cuspis adacta bibat.
Audierat Pater, & Natum miseratus, ab alto
  Aligerum allabi protinus axe iubet;
Solarique ægrum (quamquam non mollia ferret
  Iussa) & sanguineo tergere ab imbre genas.
Christe quid è cælo quæris solatia? vires
  Vt caderes fortis defuerántne DEO?
Ah! video; ipse tibi solatia demis, vt altè
  Nostram hominum posis indoluisse vicem.

ELEGIA III.

Comprehensio.

SED quid pulsa pedũ tremuit sub pondere tellus?
  Vnde micant dubiâ tot mihi nocte faces?
Fallor? an arma sonant? non fallimur, arma propin-
  Quà Solymæ tritũ semita monstrat iter. (quant
Hostis habet muros? an turbant sacra Latini,
  Pascha nec antiquis ritibus ire sinunt?
Audio: sollicito submurmurat omnis IESVM
  Turba sono; Hic, aiunt, præda tenetur, adest.
Audijt & Christus, venientiaque occupat vltrò
  Agmina, iam certam certus adire necem.
Quò ruitis ciues? coràm quem quæritis adsum:
  Nil opus est aditus cingere, nulla fuga est.

Dixe-

Dixerat, & verbo proſtratum corruit agmen,
Et toto latam tergore planxit humum.
Fit ſonitus, trepidant concuſſo vertice frondes,
Diſiectæque faces, ſparſaque tela iacent.
Acriùs audaces ſurgunt ſine viribus iræ;
Duriùs imbelles in ſua terga ruunt.
Perſiſtunt tamen: eripuit furor, iraque mentem;
Sentit, & eiurat turba ſceleſta Deum.
Addit & ipſe animos Iudas, dux agminis ille eſt,
Et Domino vel ſic obuius ire tulit.
Prô ſcelus! amplexus iungit, ſolitaſque Magiſtro
Blanditias fœdo perfidus ore facit.
Hoc fuerat prædæ ſignum; ſimulataque pacis
Oſcula, ſunt tantæ teſſera perfidiæ.
Ergo cohors toto in Chriſtum furiata cucurrit
Impete, tunc nullas denique paſſa moras.
Mille ſimul tenuêre manus, vni vndique mille
Certatim iniiciunt vincula, mille trahunt.
Induit hic ſtrictis nihil obluctantia nodis
Brachia, ceruicem funibus ille premit.
Implicat ille comas læuâ, auerſaſque retorquet,
Audaci mentum vellicat ille manu.
Ac veluti ceruum cùm terret odora canum vis,
Inſonuit cornu, conſonat omne nemus:
Ille modò pedibus campum tranſmittit apertum,
Nunc dumeta celer per ſinuoſa volat!
Vicinus legit obtortos canis impiger orbes,
Quotque præit ceruus, tot ſubit ille vias:
Donec hians ſaltu immiſit ſe viuidus Vmber,
Fixit & ardentem dente tenace feram.
Tum verò omne ruit vulgus, tenet auribus ille,
Hic pedibus, guttur dentibus ille premit;
Denique de toto vacua eſt pars corpore nulla,
Totque ſimul rictus vix fera tanta capit.
Vndique ſic Chriſtum prendunt aut prendere cer-
Harpyiæ: pretium vel tetigiſſe fuit. (tãnt
At vos ætheriæ quin iungitis agmina Mentes?
Quid nimiùm lentæ turba ſedetis iners?
Huc agite, & Regem vobis defendite raptum;
Si decus eſt veſtri, ſi caput ille chori.
Nil agimus miſeri; cælo ceſſatur ab alto,
Et ſocij captant, quà via facta, fugam.
Quò raperis Simon? ferrum quid inutile ſtringis?
In cuneos Samſon vix bene ſolus eat.
It tamen, & toto ſublatum ſurgit in enſem
Robore, væ capiti proxime Malche tuo.

Occideras: sed enim paulùm dum vertice aberrat,
Auriculam turpi vulnere dextra tulit.
Nec satis: audebat medium moriturus in agmen,
Cùm Deus audentem condere tela iubet.
Non iam tempus eget, Petre, defensoribus istis:
Sternere cùm possim voce, quid arma paras?
Nunc quoniam magni sic sunt mandata Parentis,
Quæ me cumque manent tristia, ferre decet.
Sic ait, & truncis aurem ceruicibus aptat,
Ceruicique salus applicuisse fuit.
Non tamē his possunt mitescere pectora monstris,
Pectora Caucasijs asperiora iugis.
Verberibus tundunt, sed blandior ille redhostit;
Adijciunt diras, mitia verba DEVS.
Impediunt vinclis, sed strictæ ad cetera, stringi,
Ne misero prosint, non potuere manus.
Ite truces animæ! mala gens! dux proditor istâ
Dignus erat turmâ, turmaque digna duce.

ELEGIA IIII.

Deductio ad Caipham, & nocturna contumelia.

NOCTVRNO intereà Scribæ coïere Senatu,
Et pressis iras dentibus exacuunt:
Omnem auidi captare sonum, ceu peruigil auceps
Sollicitâ ad teretes excubat aure plagas.
Sæpè nimis segnes cupidi dixêre ministros,
Sæpè nimis longas increpuêre moras.
Præcipitant tamen hi celeres, raptantq; sequentem,
Vincula si iustis passibus ire sinant.
Quà licet obsequitur Christus, gressuque secundat,
Seu trahit hinc miles, seu magis inde rapit.
Iam Caiphæ resonant totæ clamoribus ædes,
Pontifices plausu lætitiaque fremunt.
Vnius exitio, discordes cetera, fecit
Impietas animis consilijsque pares.
Vox vna est capiti inuiso præfigere Theta:
Ducitur, & misero est caussa peracta reo.
Constiterat medius; placido reuerentia vultu,
Plurimus & roseo splenduit ore decor.
Mille subornati iurant mendacia testes,
Sed malè consutis non satis apta dolis.
Audit. & immoto Christus satis ore refellit
Crimina in auctores digna redire suos.
Tum Caiphas; Vigiles æterni numinis aras
Testor, ait, posthac sit tacuisse nefas.

Tùne

Túne DEI soboles, magnum Patris incrementum,
Quod populi nimiùm credula turba canunt?
Annuerat: Scribæ tunicis à pectore ruptis,
Hinc scelus, exclamant, abripe, morte luat.
Nec mora, funestâ surgit cum voce Senatus;
Redditur & vinclis opprobrijsque DEVS.
Quis mihi nunc memoret tot dira, ô Christe, tot ictus,
Quos tibi certatim turba proterua tulit?
Cùm reliquas longæ tua per ludibria noctis,
Falleret excubias triste satellitium:
Cùm teneras duro quateret tibi verbere malas
Vndique squammato flexilis ære manus:
Lumina velatum cùm diuinare prophetam,
Quæ toto attigerit de grege dextra, iubent:
Cùm traheret mentum, vultus cùm scurra verendos
Inspueret, sputo spurcior ipse suo.
Hei mihi! si tantos peperi tibi, Vita, dolores,
Nostraque sunt istis ausa pianda malis:
Sunt tamen, heu! fateor: capitique infracta decoro
Verbera vulneribus sunt medicina meis.
His mihi libertas vinclis, his gloria quondam
(Non fueram tanti) quæritur opprobrijs.

ELEGIA V.

Accusatio coram Pilato & Herode.

VIX croceum liquit Tithoni Aurora cubile;
Iam viduis Scribæ prosiliêre toris.
Pontifices quæ sacra pios tam manè vocarent,
Plebs stupet; at templi nemo tenebat iter.
Concilium magnis forsan de rebus habendum est:
Scilicet insontem perdere, cura grauis.
Consedêre locis fraudum fecunda nouarum
Pectora, conceptum frons habet ipsa scelus.
Pars velit vnanimi damnatum voce, paternis
Legibus, & prompto tollere iudicio.
Plebs rapiet, monuit Caiphas; nam fama recepit,
Nostris hunc odijs, immeritumque premi.
Innocuas præferre manus, iustosque videri,
Quid nocet? iniustos, esto, fac esse iuuet.
Pontius ergo opus est Prætor, qui milite turbas
Arceat, & iudex suspicione vacet.
Quid metuam nostris ne stet sententia votis?
Iustitia his fieret testibus ipsa nocens.
Sæpè vel inuitus Caiphas oracula fatur;
Iustitia his visa est testibus esse nocens.

Constitit ad Latium Christus, Scribæque tribunal;
Norma tamen Latij non fuit vlla fori.
Stat reus hinc, illinc actorum incondita feruet
Turba, sacerdotum quod fuit in Solymis.
Crimina non constat plura, an conuitia iactent:
Hæc tamen inuidiâ constat, & illa iaci.
Senserat, & sontem Prætor miseratus acerbam,
Aequior insonti est tot per iniqua reo.
Dumque moras nectit varias, subducere leto
Innocuum si quâ forsitan arte queat:
Fortè aliquis, Patriam hic, inquit, Galilæius omnẽ
Concitat, & turmas seditiosus agit.
Ergo hominem patrio Galilæum sistite Regi,
Nec reus hic nostri est, culpa nec illa fori.
Sic ait, & solio Prætor consurgit ab alto,
Totaque ad Herodem pompa reflectit iter.
Iam foribus propior regni grauis æmulus instat:
Rex caue; nam multo milite cinctus adest.
Hoc Scribæ facinus, hoc vnum credite iurant,
Testati Superos, ingeminantque scelus.
At Superi damnant, neque Rex periuria curat;
Fama prior demit, resque probata fidem.
Bis populi Christum fuerant procul vrbe secuti,
Immemoresque domus, immemoresque cibi:
Bis populos pauci, visu mirabile, panes
Impleram, Cererem multiplicante D E O.
Rex meminit, cupidusque viri est, cupidusque vi-
Maius vt humanis viribus edat opus. (dendi,
His super, & multa indigno sermone rogatus,
Alloquij nullam reddidit ore vicem.
Hæret adhuc Prodromi nuper morientis imago,
Nec fuerat tanti perdere verba D E V M.
At mihi quicumque es, nón indonatus abibis,
Rex ait, & cerebro munera digna feres.
Húc niueam properate togam, non sit satis illi
Hellebori quantum crescit in Anticyrâ.
Aptior hoc nemo fuerit regnator Amyclis,
Qui populos mutâ sub ditione regat.
Dixerat: inque nouâ Christus dum veste refulsit,
Iudicio plausum regia tota dedit.
Regia, non Scribæ, qui mortem & cuncta volebant
Dira; cachinnari non libet inuidiæ.
Nunc quid agant? nullũ superest tentare tribunal,
Et superest secum quem perijsse velint.
Ire sinant? pudet incepto desistere victos;
Quemque semel vicit, non capit ira modum.

Vndi-

Vndique dum turbæ crescunt, audacia creuit;
  Ad Latium rursus vox fuit ire Ducem.
Si leges, si iura negant; quod iura negabunt,
  Quod leges, furiæ seditioque ferent.

ELEGIA VI.

Accusatio altera apud Pilatum, & flagellatio.

QVA rapitur Christus, clamorque horrorque præibant;
  Pontius audierat, prosilijtque domo.
Vix benè constiterant, resonat clamoribus æther:
  Mitte neci, meruit, vel meruisse puta.
Si meruit, profer scelus; meruisse putabo:
  Hactenus in nullo est crimine, Prætor ait:
Misimus Herodi, donatum veste remisit;
  Non est conueniens sontibus ille color.
Quem totæ norunt Solymæ, clamantque nocentem,
  Turba refert, meritò non erit ille reus?
At gemino tantùm teste, hæc si cura remordet,
  Debuerat pridem vile perisse caput.
Tum verò magis atq; magis crebrescere murmur;
  Arma etiam verbis asperiora parant:
Cùm timidus Iudex, Cedendum est ergo furori,
  Dixit, vbi victis legibus arma vigent.
I miles, lacera hunc totos immaniter artus,
  Turba aliter flecti seditiosa nequit.
Ocyùs Ausonij properant ad iussa manipli:
  Heu quot Roma tibi sunt modò carnifices!
Longa mora est Latias virgis spoliare secures,
  Vix aliquot lictor instruit inde manus.
Expediunt rigidis horrentia cingula bullis,
  Dura quibus munit fibula vtrimque caput.
Marmor erat medium, cui fornix vndique circùm
  Incubat, & toto est pondere nixa domus:
Hîc positâ Christum constringit veste satelles;
  Errat virgineo plurimus ore pudor.
Phœbe vides? pergis sceleratam extendere lucem,
  Anne Thyesteâ præcipitare viâ?
Quin Domini obnubis properatâ nocte pudorem?
  Incipies serò scilicet esse pius.
At DEVS in pœnas sibi vendicat hactenus illum,
  Qui meruit tenebris tetrior esse, diem.
Vix stetit affixus saxo, cùm fusus ab omni
  Parte ferus miles verbera mille ferunt.

Eia

Eia agiles socij (sic turba proteruit) Apellæ
Quàm volupe est tergum dilacerare canis!
Pro se quisque manum probat, ingentesq́; lacertos,
Vulnus & intacto destinat antè loco.
Scorpius hîc radijs corpus discerpit acutis,
Hinc teneram mordax fibula & inde cutem.
Hîc nerui, hîc funis grauiori tunditur ictu,
Vapulat hinc virgâ, vapulat inde flagro.
Nec mora, nec requies: fesso subit alter & alter,
Quando suam quiuis gestit obire vicem.
Non tam densa pluit concussâ ex ilice glandis,
Aspera quam primo frigore læsit hyems.
Non ita tecta sonant, largo cùm Iuppiter imbri
Frigore concretas eiaculatur aquas.
Verberibus locus antè deest, quàm verbera, & vnum
Omnia nunc latè vulnera vulnus hiant.
O dolor! ô pietas! inter tot acerba, tot ictus;
Quæ tenuêre DEVM vincula, strinxit amor.
Constitit immotus, nisi quantum pondere victum
Concuterent validâ verbera missa manu.
Nec gemitus misit, nisi queis tot crimina planxit:
Si decuit, decuit sic mala ferre DEVM.

ELEGIA VII.

Coronatio, & condemnatio.

BARBARVS en miles (fas sit dixisse Quirites
Hactenus, hoc facta est barbara turba die)
Regalem instituit noua per ludibria pompam;
Pœna tamen Christo seria ludus erit.
Dant manibus sceptrum, sceptrum fuit illud arundo,
Quæritur & regi purpura digna nouo.
Impie nil opus est peregrino murice miles,
Ipse suo rex est sanguine purpureus.
Redde togam, lictor, quocumque illusa colore est,
Purpuream tactu fecerit ille suo.
Quod deerat scenæ, capitique insigne decorum,
Sentibus è rigidis texta corona dedit.
Prô dolor! impactis penetrantur tempora spinis,
Oraque sanguineo perpluit imbre caput.
Iudicis ad solium miserando hoc schemate Christus
Sistitur. heu! lacrymas saxa vel ipsa darent:
At populi magis atque magis furor impius ardet,
Fige cruci, inclamant, abripe, fige cruci.

Excute, relligio si quæ te tangit; amicus
  Non aliter magni Cæsaris esse potes.
Hîc si qua est, plectat nostros ea culpa nepotes:
  Sit scelus hoc nostrum, tu modò fige cruci.
Perfida gens! odia exercet constantia magno,
  Perdere cui tanti est, vt periisse velit.
Et perdes pariter, pariter scelerata peribis:
  Quæ temerè effundis, pondus & omen habent.
Cæsare nunc iactas te principe, Cæsare quondam
  Vindice, commissum debita pœna manet.
Hactenus insontem morti demittere Prætor
  Non tulit, & iudex penè patronus erat.
Cæsaris audito sed nomine, territus hæsit,
  Vt Iouis æthereo tactus ab igne solet.
Hoc vno potuit percelli fulmine victus;
  Pro tonitru nomen, pro Ioue Cæsar erat.
Intonuit quoties, toties incerta Pilato
  Mens labat, & vano est denique victa metu.
Perque scelus quod nulla satis deuouerit ætas,
  Innocuum damnat crimine, morte DEVM.
Stultus, qui toto scelus indelebile ponto,
  Eluere affusâ posse putauit aquâ.

ELEGIA VIII.

Crucifixio.

ABLVERAT Prætor mansura piacula, Regem
  Exuitur Christus, induiturque reum.
Crux petitur clauique, nouæ noua fercula scenæ:
  Claudenda hîc tragico sæua theatra modo.
Feruet opus, sceleri plebs officiosa ministrat,
  Instant Pontifices; omnis acerba mora est.
Manè fuit pridem, pridem ieiunia solui
  Suadet acuta fames, suadet adulta dies:
Intima sed magis existimulat præcordia liuor;
  Mensa nec hoc viuo, vita nec ipsa placet.
Crudam humeris molem fabricato è robore raptim
  Imponunt, oneri nec minùs ille subit.
Hauserat exiguum tortor cum sanguine robur,
  Hauserat & longis nox vigilata malis:
It tamen: at victæ medio in conamine vires,
  Et genua immani pondere pressa labant.
Rusticus hac Simon fortè aduentabat in vrbem,
  Prisca Cyrenæum fama fuisse refert.

Obuius

Obuius arreptum miles, nolitve, velitve,
Impositæ cogit subdere colla trabi.
Damnat iter frustrà longi sub pondere trunci,
Nam malè damnatam vis fuit ire viam.
Sole sub occiduo Solymæ mons despicit arces,
Molliter assurgens, Golgotha nomen habet:
Huc iter est; illic positâ super arbore Simon
Sederat, & Christus iam iuga summa tenet.
Procubuit iussus, laceroque è corpore raptâ
Veste, super diro stipite membra locat.
Imminet & miles, & prædæ lictor inemptæ,
Cùm vestis nullâ sutilis esset acu.
Ergo vbi partiri diffutam in frusta nequibant,
De spolio & tenui est alea sumpta togâ.
Mox manibus clauos figunt pedibusque trabales,
Et valido plantas verbere transadigunt.
Incutitur quoties repetito malleus ictu,
Intima bis geminus permeat ossa dolor.
Húccine mortalis progressa audacia, & istos
Ausa forare pedes, ausa forare manus!
Hásne manus, quæ tot per monstra ægrisque salutem,
Et iam defletis restituere diem!
Christe, cui tantum de te licuisset inulto,
In te ni nostri plus potuisset amor?
Huc ades ô quisquis pendentem è stipite cernis,
Subque tuâ agnoscis carne latere DEVM:
Suspice crudeli redimitum tempora serto,
Oraque ab hesternâ liuida sæuitiâ;
Cæsariem mentumque atro sordentia tabo,
Deiectasque genas, exanimesque oculos;
Viscera per laceras iam penè fluentia costas,
Sparsaque mille alijs vulnera mille locis.
His tibi vaticinans, misto inter gaudia luctu,
Fatidico Isaias præscius ore canit,
Hausturum optatam de fontibus esse salutem,
Quique fluunt manibus, quique fluunt pedibus.
At scelerum elutus saniem, tetrumque cruorem,
Parce nouæ impuras labis habere manus.
Parce animi infelix, tantoque ingratus amori,
Intentare iterùm dira necemque DEO.
Nos potiùs, nos Christe, precor, rape in omnia tecum
Pollicitus; iam te sustulit arbor humo.

ELEGIA IX.

Mors.

INTEREA totis fundunt sese agmina portis,
It puer, it cupido femina mista viro.
Visendi studium est, animus non omnibus idem:
Hic probat, at tantis ingemit ille malis.
Mœsta etiam Mater, fido comitata Ioanne,
Adfuit, in lacrymas officiosa suas.
Nec timuit turbas Virgo perrumpere; Nati est
Victus amore pudor, victus amore dolor.
Filius, ô luctum! trabe iam pendebat ab altâ,
Saucia cùm Mater constitit ante pedes.
Quæ tibi tum facies Virgo? num plangere pectus,
Num fuit in castas impetus ire genas?
An laceris vlulasse comis, an fortè coortis
Exanimem tenebris diriguisse putem?
Sic Tobiam genitrix, sic amens flebat ademptum
Herodis rabie mater inulta suum.
At fidens animi Virgo, quos præscia dudum
Prædidicit luctus, ferre animosa parat;
Et quamquam immenso pectus confixa dolore est,
Stat tamen, exiguo paucula questa sono.
Heu qualem aspicio! quantum es mutatus ab illo,
Qui gremio fueras sarcina grata meo!
Qui talem adspiciat, visum priùs esse negabit;
Vix liquidò mater dixerit esse suum.
Te tamen esse meum, densis frons horrida spinis,
Fossa manus, flagris membra cruenta docent.
Hoc quoque quòd natum vix possum agnoscere mater,
Ah! nimis ex vero te docet esse meum.
Hic color, hæc vultus superant simulacra decori;
Non tamen hæc matri dissimulanda tuæ.
Agnosco natum; tu mœstam agnosce parentem:
Ne tibi sim mater, quod mihi crimen obest?
Quis malus inuidit lacrymis tua vulnera nostris?
Frigida quis nostro membra fouenda sinu?
Non ego, ne sæui peragant mandata ministri,
Impedio, iungi si quid ad ista potest.
Nec tibi quæ Genitor præfixit fata reuello;
Vnum oro, matrem detur vt esse piam.
Plura locuturæ vocem dolor intercludit:
Sed dolor & gemitus plus quoque vocis habent.

Frigi-

Frigida vix cælo demittens lumina Christus,
Vidit, &, O carum, dixit, vterque caput,
Viuite concordes; tu pro me filius, & tu
Discipulo posthac pro genitrice meo.
Hæc tantùm effatus: sitienti lingua palato
Longius officium voxque caduca negat.
Quantum erat, ô feritas, morienti parcere? quantum
Vel gelido extremam fonte leuare sitim?
Si benè quid pietas mediâ iam in morte meretur,
Mecum audi, & pietas disce quid ista velit.
Non ille Ausonios, non Scribas deuouet hostes,
Omnibus impunè hanc supplicat esse necem.
Parce Pater, dixit, nullumque hoc crimine damna;
Plus habet erroris culpa, minus sceleris.
Fellea, prô miserum! poscenti pocula præbent
Longo crudeles nunc quoque de calamo.
Quæ DEVS vt summis libauit toxica labris,
Fata suum finem iam mea, dixit, habent.
Dixit, & exclamans (quid singultantia rumpis
Verba dolor, finedum paucula, iam taceo)
Dixit, & exclamans (iam iam hoc caput obrue luctu,
Dic tamen hoc vnum, dic dolor) emoritur.

CAROLI MALAPERTII
è Societate IESV
MISCELLANEORVM LIBER VNVS.
AD LVDOVICVM XIII. GALLIARVM ET NAVARRÆ REGEM

Dum liberam regni administrationem per ætatem suscepisset.

QVIS me beauit nuntius vltimum
Tardi Bootæ sub Ioue frigido,
Longique vim morbi obstinatam
Dissoluens mihi me redonat;
Iam Ludouicum Regibus additum
Moliri habenas nobilis imperî,
Togaque donatum virili
Impauidis dare iura Gallis?
O dedicandum postibus his diem!
Cressâ, ô Sodales, non careat notâ.
Quotcumque IESV militatis
Dulce Sodalitium professi,
Ille & piorum se memorat genus
Abusque sceptris Francigenûm vltimis,
Cognominemque Ludouici
Indigetis meminit nepotem.
Ille & paternis nos studijs bonus,
Et si quid istis arctius est, fouet;
Doctasque complexus sorores,
A tenero ingeniosus vngui est.
Calumniatrix Hæresis abstine
Mendaciorum, quæ profugos solo
Gallos paterno Iesuitas
Sarmatiæ populis canebas.

Audi

Audi tuorum quod doleat gregi,
Audi inuidendum,& rumpere: Viuimus,
Viuunt, valentque Iesuitæ,
Gallia quos amat, atque amabit.
Quos Flexiani Gymnasij arbitros
Deuinxit arrâ non violabili
Henricus æternis receptus
Sedibus, inque sui renascens
Vultu Loysi. Talis in arduum
Et Galliarum creuit in Herculem,
Vinci insolentem: sic decoros
Ille oculos tulit, ille gressus.
Tali fuisse Francia scit statu
Dulci in iuuentâ: Borbonij sciunt,
Quos esse Musarum sacratos
Munificus voluit penates.
In te parentem cernere viuidum,
Quantum, ô Loysi, Flexia gestijt,
Spectare cùm cunas auorum
Egit amor pietasque nuper?
Cùm pubis isthic agmina Gallicæ
Distincta in omnes Pieridum choros,
Et vota certatim, & sonoros
Quæque tibi cecinere plausus:
Cùm Ludouicum reddere millies
Docta est iocosâ vocis imagine,
Cùm tota Musarum politis
Visa loquax domus esse chartis.
O Liliorum Borbonium decus,
Quis sensus alto pectore tum fuit,
Cùm patriam, & primos videres
Magnanimi genitoris ortus?
Has ille in auras vagijt editus
(Si tantus vnquam vagijt Hercules)
Primoque matrem nosse risu,
Et roseis didicit labellis.
Hoc ecce, Princeps, quod terimus solum,
Plantam labantem, & pondus amabile
Firmabat vltrò, dum cadenti
Triste suo timet esse Regi.
Hic quà implicatis ilicibus nemus
Ipsas tegebat cum latebris feras,
Casses tetendit ille primùm,
Insidiasque, animosus infans.
At tu, Loysi, quem studia hæc iuuant,
Ardorque dulcis; parce fugacibus

Obſtare ceruis, neu laceſſas
Vulnificum, horribilique malã
Suem timendum. fulminis hoc iacet
Adonis ictu; nec ſemel vltimo
Defunctus Henricus periclo,
Dum violens tulit ire contrà.
Materna prudens conſilia indoli
Miſce paternæ, dum melior calet
Sanguis; neque indulge ruenti
Feruidior nimiùm iuuentæ.
Vos, ô fauentes, vos Superi precor,
Seruate regni delicium diu,
Gentemque ſoſpitare in vno
Non fuerit graue Ludouico.
Veſtris vigentem præſidijs date
Caſus per omnes; ſiue togâ inclytum,
Et rura ditantem voletis,
Siue ſago per acuta belli.

R. P. IOANNI A VINEA *Societatis* IESV *ſub Indicam profectionem Sacris primùm operanti.*

ERGO ratum ſedet hoc animo, immotumque ſedebit,
Linquere bis patriam, bis quidquid dulce tuorũ eſt?
Certus es? & mœſtos prima inter ſacra valere
Extremùm, æternumque iubes? ſatis eſſet amicis
Tunc perijſſe ſemel, quando tute ipſe tuorum
Amiſſum ex oculis aliena in iura dediſti.
Quid modò nõ patriæ, ſed mundi transfuga totum
Vis mutare diem, cælumque & nota peroſus
Aſtra, nouas Arctos peregrinaque ſidera quæris?
Non placet, obliquis Phœbus cũ reſpicit hirquis;
Nempe alibi quærẽda plaga eſt, cui cardine ſummo
Stet librata dies, Titan vbi pendulus inſtans
Verticibus, totas abſumat corporis vmbras.
Quò rapis incautũ dolor improbe? méne profano
Sperabas hunc poſſe diem corrumpere luctu,
Gentis honos noſtræ primis cùm ſiſtitur aris?
Omnia cùm lætis ſubſultant plauſibus omnes
Ignoti notique nouo bona carmina Myſtæ
Concipiunt, feſtiſque onerant altaria donis,
Squallidus vnus eam, diuinoſque inter honores
Triſtior occurram facies, atque omina turbem?
Non hoc tempus eget luctu: muliebre recuſat

Offi-

Officium,lacrymasque, malis sponte obuia virtus,
Deuotumque Deo caput, exantlare paratum
Quæ fors cumq; feret,seu pulchrę occũbere morti,
Flere nefas. Verso potiùs quin carmine felix
Da Musa auspicium ; quæque inconsulta coëgit
Fundere verba dolor, voto meliore retracta.
Vos Superi, vos este boni tam fortibus ausis :
Tuque adeò, quò pridem animi te mascula virtus,
Quò penitis ardens fibris calor entheus vrget,
Perge Deo monstrante viam; quocumque vocabit,
Tutus adi, certusque incerta pericula lustra.
Est tuus,est animus lucis contemptor, honestam
Qui fuso benè credat emi vel sanguine mortem.
Macte animi virtute istã, pete deuia mundi,
Extremos hominum Iapones, nimiumq; timendos
Hospitibus Chinas, populorum & quidquid ad Indum
Orbis deuexo terrarum margine celat.
Exilium forti nullum est: quemcumque polorum
Aspicies, æquo distabit limite cælum.
Vade age, tot densâ populos in nocte iacentes,
Prædam Erebo certam, Christo da vindice lucem
Aspicere optatam, cælique in parte reponi.
Hanc spem ferre tuæ mater, hac possit aniles
Solari curas, capitisque pericula cari;
Postque aliquot segetes, tam longi tædia cursus,
Annalesque iuuet vestrorum audire laborum.

Reuerendo Patri ANTONIO LAVBEGIO.

FELICES nimis & nimis beati
Belgæ, quos patriæ tumultuantis
Vix fracto feriunt sono ruinæ.
Nos iunctæ attoniti fragore stragis,
Tantùm non tegimur calente busto.
Felices iterùm, & nimis beati
Belgæ, queis patrio procul penate
Rerum est prima salus & vna Christus.
Nobis hinc patriã, inde blandiente
Cognato grege, vix fit vt nihil mens
Terrenæ hinc capiat, vel inde fæcis.
Te verò ter & ampliùs beatum,
Pars Laubegi animæ secunda nostræ !
Dignum ô magnanimis ducem colonis !
Dignos magnanimo duce & colonos !
Qui tecum aut Eboræ modò, aut Coimbræ

Docto in puluere serijs duellis
Proludunt agiles, teruntque ferrum,
Quo quondam stygios tenebriones
Collato pede cominus fatigent,
Et truncos faciant Deos minutal:
Totâ vt barbarie hostibus subactis,
Victricis statuant crucis trophæum.
Torpentes agite excitate Belgas,
Ignauos agite increpate Belgas:
At quos non pigeat sequi vocatos
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Venturos agite aduocate Belgas.
Nunc quidem: at validâ manu rudentes
Si sumat positis Batauus armis,
Successuque aliàs secundiore,
Insuetum per iter, pigrum Bootæ
Assuescat ratibus subire plaustrum;
Non est quòd solitum Tagus celeuma,
Aut Bætis canat, vltimosque Belgas
Ad cursum vocet Indicum; præibunt.

De Septemtrionali Hollandorum nauigatione.
Loquitur reuersus nauta.

Oedipus huc aliquis, qui nostra ænigmata soluat:
  Nil mihi cum Dauo, nil mihi cum Batauo.
Fallitur, hinc quisquis mercatum exisse putabat;
  Mercatum, fateor, mens tamen ire fuit.
More nouo velis venatum & nauibus ibam,
  Candida vbi summo cursitat Vrsa mari;
Cùm furit Aeoliâ Boreas insanus ab Arcto,
  Aequor vbi placido marmore sternit aquas.
Vidimus & Scyllā, & solidas sine rupe Charybdes,
  Nauta vbi non Scyllam, non timet illa canes.
Denique (quis credat?) ponto quia naufragus illo
  Non potui fieri, naufragus huc redeo.

Pro insulso Anagrammatismo

FRANCISCVS COSTERVS IESVITA.
CERTO TV ES ASINVS AFRICVS; SIC.

Auctori reponitur

LVCAS OSIANDER PRAEDICANTIVS.
NIL TV ASINE CARPES, I AD CARDVOS.

Cerulee tortâ, mille carnifex modis
Fingis, refingis cereum nomen mihi,

Asinumque miro grammatum textu facis.
Numquam futurum ni tuum SIC adsuas;
SIC inficetum! SIC inurbanum! quasi
Suam tibi addat vxor in cristas colum.
Vis me Africano genere prognatum; papæ!
Longè id peractum est, omniumque ingratijs:
Nam quis Asinorum Punicum celebrat genus?
Vnicum Apuleius Afer Africum canit
Aureus Asellum; sobole sed nullâ ferunt
Vsquam beatum. Iuppiter, factum malè.
Tibi verò stemma sanguine Arcadico inclytum,
Ante & Gigantum prælia, & lunæ globum
Cælo micantem: genere mortali altior,
Stirpe inuidendâ tangis antiquum chaos.
Nisi fallor, hæsit nomen hinc Græcum tibi,
Fertile elementis, quæ tuam gentem arguant;
Siue tu Osiander, siue Onander diceris.
Hoc tute genere macte sis, per me licet:
Sed te impudenter vt sacris sic ingeras
Animal profanum, ruminare nescium,
Nec vngue fisso, moneo, per me non licet;
Nec lege liceat. Abstine ergo, si sapis,
Dentem vngulamque scriptionibus sacris:
Nam licet hianti sæpè rictu prensites,
Nil asine carpes, ad tuos i carduos,
Aut fuste referes dedolatus hinc pedem.

Eidem.

Sæcli incommoda, pessimi Ministri,
Sic vobis licet esse feriatis,
Vt bonas malè collocetis horas
Torquendis miserè modos per omnes
Vocum litterulis? parúmne rerum est
Pascendo in grege, pusionibusque,
Quos ministerio fidelis vxor
Tam certò parit ad diem quotannis,
Quàm certò tepidi comes Fauonî
Plorans semper Itym cruenta Progne,
Et Ciconia vere nidulatum
Ad notæ reuolant domus cacumen?
Ohe pergite seriò Ministri
Has nugas agere, atque grammatismos,
Nullâ parte eritis minùs nocentes.
Nec tu desine magne Litterator
Conturbare meum vsque & vsque nomen,
Dum turbent tibi litteræ cerebrum.

Ana-

Anagramma quidem coactus vnum
Rescripsi tibi, sed tibi illud vnum
Prædico fore: nam nisi pigeret,
Esses hac hodie arte Iesuita;
Quod nolles, scio; quodque nollet vxor.
Securos tamen illius pericli
Vxorem volo viuere, & maritum.
Nolo tam malè feriatus esse,
Vt totos libeat dies minutis
Nugis perdere, & inquinare chartam:
Nugis, Dî, nimiùm laboriosis.

Bellicum facinus.

Audierat procul arma, bonâ de gente Batauus,
Gestit in hostiles feruidus ire globos.
At lateri patrium mater dum subligat ensem,
Hæc, inquit, referas, nate, fac arma domum.
Vix propior steterat pugnæ, vestigia pressit
(Mille micant enses, vulnera mille ferunt)
Nam quid, ait, ludi est? oculis non parcitur ipsis:
Certè oculis ludus non placet ille meis.
Fortè tamen iacuit truncum sine nomine corpus;
Irruit: Hispanum nam cutis esse docet.
Sæuit atrox, & quà cædendo, quà laniando,
Ablècuit miles strenuus ense femur.
Facturusque fidem, magni argumenta duelli,
Et femur & ferrum sanguinolenta gerit.
Inde memor moniti, nã pugna cruenta peracta est,
Arma celer properat salua referre domum.
Hoc, ait, Hispanum mulctaui verbere, mater,
Maternosque femur proijcit ante pedes.
Horret anus: Sed enim potiùs caput ense tulisses
Nate, refert; olim hic fortè redibit eques.
Non faciet certè. ô mater; sed poscis iniquum,
Vnde caput velles tollere? non habuit.

In Calumniatorem.

Ridere amici vultis? ecce fabellam.
Scotus Louanî nuper excucullatus,
Nimiumque mollis Ordinis sacri tyro,
In sacra demens pessimos facit versus.
Scotus, ille iamiam qui pedem extulit ludo,
Aurem magistris vellit, has agit grates.
Ille ille, nostro transfuga laris incerti
Tecto receptus, qui domesticum in panem
Toties caninos strinxit impiger dentes,

Nostrum

Nostrum canino dente lancinat nomen,
Dentire cùm vix cœperit poëtaster.
Censete, amici, num bonum fiet factum,
Aures vt altiùm promicent cucullato,
Tergum vt superbo pruriat magistello,
Dentesque longè dentiant poëtastro.

Ad Iconculam VIRGINIS ANNVNTIATAE.

Matris vt insonuit nomen, partusque futuri,
Erubuit totis Virgo marita genis.
Nec mirum hæc si labra tenet, si fixus ocellos,
Non alio sedit digniùs ore pudor.

Ad SENATVM ATREBATENSEM,
dum flumini alueum conderet.

Sublimes potuit transmittere Roma per arcus,
Virgo tuos latices, Martia Nympha tuos:
Vndaque diuerso sub sidere nata, togatæ
Delicias genti fornice lapsa tulit.
At fuerit quondam fontes duxisse Quiritum,
Attrebatum est totos condere nunc fluuios.

Iephte ex voto inconsulto filiam immolans.

Quod memorat cæcus de rege Poëta Pelasgo,
Heu vtinam de me sola theatra ferant!
Sed nimiùm veris gesta est mihi fabula rebus,
Dum cecidit nostrâ filia cæsa manu.
Non satis vt constet, pius, an sceleratus Iephtes
Vota recusanti soluerit ista Deo.
Seriùs infelix moneo, æternumque monebo:
Irrita vota facit, quisquis iniqua facit.

Titus Manlius filium plectens.

Filius à pugnâ spolijs veniebat onustus,
Faustaque non iussâ sumpserat arma manu;
Vltores patriæ sensit me iudice fasces:
Nempe simul potuit victor, & esse nocens.
Non pater occidi: nam quisquis iudicis æqui
Personam induerit, exuit ille patris.

C. Iunius Brutus.

Ipse ego subieci Natorum colla securi,
Vtcumque hoc olim postera turba ferat.
Crederet imperio quisquam mouisse superbos,
Quando superbiret sanguis in Vrbe meus?
Quin potiùs collapsa domus me lugeat orbum,
Dum tibi me posis dicere Roma patrem.

In

In calculum quo excruciatus amicus interierat.

Si niger est, meritò damnat qui morte nocentem;
Qui iustum interimis, calcule, quàm niger es!

Eiusdem Calculi Metamorphoses.
Parodia ad Catulli Phaselum.

Lapillus ille qui tibi manum asperat,
Ait fuisse caseus Batauicus:
Neque helluonis vllius sitim impigri
Nequisse prouocare, siue res foret
Mero gerenda Gallico, aut Iberico.
Et hoc negat patentis Amsterodami
Forum negare: Cycladas Zelandicas,
Britanniam vltimam, horridosque VVestfalos,
Brabantiamque, Frisonumque pascua;
Vbi iste, pòst lapillus, anteà fuit
Opima vacca: namque Frisonum in solo
Boante sæpè perculit sono nemus.
Groninga pinguis, Amasique lympide,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima,
Ait lapillus; vltimâ ex origine
Tuo fatetur ambulasse margine,
Tuo imbuisse plantulas in æquore:
Et inde mulctra tot per improbas manus
Replesse lacte, lacte siue caseo
Opus fuisset, aut vtrumque sedula
Simul colona missitaret in forum.
Nec vlla vota nundinalibus Dijs
Sibi esse facta, cùm veniret à boue
Batauicâ, has adusque iam silex manus.
Sed hæc priùs fuere; nunc inutili
Senet quiete, seque consecrat tibi
Megæra Erinnys, & Megæra Erinnyos.

Reuerendo Patri ELEVTHERIO PONTANO *ante exstructum Atrebati templum Societatis* IESV.

Ergo domi nescis nullum mors esse sepulchrum?
Funera quid pergis iungere funeribus?
Quidquid agas, violare Senem caue; nam sua non vult,
Relligiosus homo est, ossa cubare foris.

Ad SENATVM ATREBATENSEM
dum Scholas exstrueret.

Hic vbi iam propior vertex se nubibus infert,
Horridus incultis vepribus hortus erat.
At Sonipes, vbi maius opus prærupta minantur,
Sæpe malè effuso tutus ab imbre fuit.
Quàm noua nunc facies? sunt digna palatia Musis,
Commoda quæ pecori vix fuerant stabula.

Ad vrbis insignia Scholarum foribus præfixa.
Leo scutum Arthesiæ collo gestat.

Hic rudis ingenuas mens emollescit in artes;
Quem decet, hîc capiunt effera corda modum.
Quoque minùs dubites, huc hospes suspice; collo
Indocili didicit iam Leo ferre iugum.

In Batauum conuitiatorem.

Dignum patellâ operculum: Burdonij
Castor gemellus quantus in clypeum arrigit,
Digitosque! quanto turbine intorquet minas!
Cruente Scazon, horridi Hendecasyllabi,
Malè ominato currite huc omnes pede;
Magni Poëtæ pectus incensum æstuat,
In Iesuitas felleum bullit iecur.
Archilochus iste, Iuppiter, si mussitant,
Ex Iesuitis pendulos totidem dabit
Tibi mox Lycambas: reste iam collum induunt.
Bona verba: quid si carmina, & rei malæ
Chartam efficacem Iesuitæ non legant?
Sed heus tu, an vnus omnium hæc nosti sacra?
Phœbíne patiens solus in Gebennico
Bacchatus antro es? quidquid aut Pollux tuus,
Patérve Beza scripsit vndeno potens
Numero, aut Iambis, legitur; & cuncti valent.
Iam Iesuitis dura frons occalluit
Crebro sub ictu, stigma, ferrum respuit;
Nec marmoratis læditur calumnijs.

De vrbe Metensi à Duce GVISIO *propugnatâ.*

Longiùs Herculeis signa explicuisse columnis,
Carole, virtutis gloria prima tuæ est.
Stas tamen ad Metas, stant tecum mille manipli:
Guisius hîc fixit quod tibi meta foret.
Nec minor Alcide est; tantoque sub Hercule, Metæ
Sunt aliquid metis amplius Herculeis.

In

In Proteum, pro locorum opportunitate Religionem mutantem.

Si nescis, Proteu, qui te genuêre parentes,
Lustratum Latijs instituêre sacris.
Inde aliò res curta domi, breuiorque supellex,
A patrio extorrem compulit ire solo.
Transgressum lacceris Alpes frigusque lacernis,
Excepit tepido læta Geneua sinu.
Hîc vbi putidulæ vxoris cum paupere mutas
Dote fidem; quæuis sed tibi diues erat.
Verùm periuræ non vult bonus esse tabernæ
Mercurius, quâ tu Bibliopola sedes.
Versuras per mille, & nomina dilapidas rem,
Vt malè dilabi, quæ malè parta solent.
Publicitusque tibi hospitium cùm iura pararent,
Sentis, & celeri consulis antè fugâ.
Ergo per Heluetios fidei tibi maximus auctor
Lutherus fuit, aut Zuinglius, aut alij.
Omne solum forti patria est; omnis tibi ritus
Relligio; ô multùm relligiosus homo es!
Quin te & Iudæi repetunt; nam pignore lauto
Iurasse adstrictum per sua sacra ferunt.
Quando Abrahæ tibi nomen erat, cùm Sabbata fueras
Tota decussatas ritè tenere manus.
Quòd si tu inficias potes ire, Proselyton aiunt,
Nescio quâ tandem posse patere notâ.
Sed fuit hoc olim; nunc Sarmata Racouianus
Instaurat Arri dogmata Christomachi.
Nec Mahometani formidat murmura belli,
Armorum quæ nos alea cumque manet.
Nam qui Racouiæ subit ad saliceta lauandus,
Siue Alcorani lustra, perinde facit.
Et cidarim Proteus captâ cùm sumpserit vrbe,
Quâ non se Turcam parte probare potest?

In decoctorem.

Quid noctes miser augeris, diesque?
Si vis par Superis Lyca esse, dormi.
Nam fessum quoties caput reclinas,
Crœso te toties beatiorem
Dî reddunt faciles, leuesque somni,
Quos mitti foribus ferunt eburnis
Illinc, vnde negant redire quemquam.
Tum tu es bellus homo, atque delicatus;

Tum

Tum curas animi, anxios timores,
Prætorisque minas, diemque dictum
Multo diluis impiger Falerno,
Quali nec rutilum coronat aurum,
Cùm miscet Phrygius Ioui minister.
Infectum tibi nauibus trecentis
Aes stipant famuli: gemensque nummos,
Et Crassi reditus, flagellat arca.
Tum te vel Tyrio superbus ostro
Ostentas populoque, Patribusque;
Aut iam diues Arabs, trucésve Daci
Optauêre suis Ducem maniplis.
Arces, oppida disijcis, triumphas:
Et noctes miser angeris, diesque?
Audi consilium: vsque & vsque dormi;
Felici licet, & licet quieto,
Et prono licet, & licet supino:
Per fures etenim nihil pericli est.
Hoc iurant tibi, Iuppiterque spondet;
Sed nec quod rapiant, tui, aut tuorum est,
Non si te abstulerint domumque totam:
Debes namque animam, domumque debes.
Nec ferro silicem, aut heri sepultos
Nequidquam cineres molestet vxor;
Cur viro inuideat beatitatem?
Post & prædiolum, suamque dotem, &
Decocta omnia, iam nihil coquendum est.
Nox est congeminanda, vix adultum
Conniuentibus ad diem fenestris.
Nam dormire diem vsque ad vmbilicum,
Et magnum tibi somniare lucrum est.
Non dormit tamen heu Lycas; quid istud?
Noctes esurit, (ah miser!) diesque.

Ad SENATVM ATREBATENSEM *Scholis exstructis.*

Iuppiter vt tantam vidit consurgere molem,
  Bella mihi video, bella parantur, ait.
Fulmine nil opus est iterùm, Tritonia dixit;
  Bella quidem genitor, sed mea bella parant.
Dulce genus pugnæ, nullo stat sanguine palma:
  Ista geri mediâ prælia pace volunt.

Testudinis laudes.

Quis tibi Testudo doctas DEVS indidit artes?
  Aut vbi mens paruo in corpore mersa latet?

Quis labyrinthéos sinuare volumen in orbes,
Fornice quis concham sic laqueare docet?
Tortilis vt varios nitet interfusa colores,
Cùm redit in gyros, nec redit vrna suos?
Ast vbi peniculũ est? vbi circinus, & quibus omni
Dædalus arte tuum vix imitetur opus?
Quin fluuio dum fortè cadis, natat vncta per vndas
Cochlea, fitque ratis, quæ fuit antè domus.
Dic tamen angusto claudas cur fornice tectum,
Vt miseris nullus sit locus hospitibus?
Nil opus est, inquit; nostrâ de gente viator
Quisque suum tergo sustinet hospitium.

Querimonia in morbo.

Conquerar, an fleam, & corde eluctantia ab imo
Indeploratus verba, malumque premam?
Da veniam, Natura parens, miserumque dolorem
Effundi in gemitus, & sua verba sine.
Tertia iam viridi lactescit messis in herbâ,
Postque hyemis surgit tædia veris honor:
Dum me morbus habet, Medicorũ incognitus arti,
Suspensum vitæ sollicitumque meæ.
Sæpè mihi læso manat de pectore sanguis,
Atque animam tantùm non vomo purpuream:
Siue tamen læso manare à pectore credam,
Seu magis hoc flumen pulmo cruentus agit;
Seu caput à summo mittit; leuiusq; periclum est;
Sunt etenim Medicis hæc tria visa tribus.
Nempe etiam ex aliis, dixi, si consulo quartum,
Inueniet quartam sanguinis ille viam.
Nil moror; abscedant placita in diuersa Sophistæ,
Hic vbi de Vacuo quæritur & Nihilo:
Ast vbi non tenuis de vitâ & sanguine res est,
Aut nihil, aut vnum dicite tot Medici.
Languentem Lotharis primùm, mox Gallia vidit,
Nunc rigidæ tento pharmaca Sarmatiæ.
Est qui me iubeat cælum tentare paternum:
Esse suis, inquit, patria amica solet.
Heu miserũ! incumbunt morbi mortalibus ægris,
Aurea quot cælo lumina vesper agit;
Nec numerus cõstat, nec vis: morimurq;, priusquã
Nosse luem detur nomine, quâ morimur.
Forsitan & tepidum lacerant à morte cadauer,
Et nimiùm serò dicitur, Ecce malum.
Est propè vt inuideam sanis sua corpora brutis,
Nosque pari natos conditione velim.

Circumfert medicam canis ad sua vulnera linguam,
Ceruа nec intonſo ſupplicat icta deo.
Reſtituit pullis ſua lumina Thracia pellex;
Non fuerat miſero tam bona mater Ity.
Turpe miniſterium, multis tamen vtile morbis,
Ni docuiſſet ibis, quis docuiſſet Arabs?
Piſcis equus certo venam ſibi diuidit ictu,
Ipſum etiam doctus temporis articulum.
At Medici, in dubio eſt, prosintne humore minuto,
Chirurgoque manus ſæpiùs arſque tremunt.
Nuper ego incertâ ſum cuſpide ter quater ictus,
Cùm plena haud timido ſanguine vena foret.
Vixque aliqua exſilijt de vulnere gutta maligno:
An non hoc noſtro eſt ludere de corio?
Excutit & roſtrum & veteres Iouis armiger annos,
Et pellem ſerpens exuit & ſenium:
Vnica Panchæis quæ viuit odoribus ales,
Surgit ab exſtincto mox rediuiua rogo.
At melior iuuenum fugit irreuocabilis ætas,
Et Peliæ fruſtrà eſt vita recocta ſeni.
Incertique ſemel cùm lux breuis occidit æui,
Ad ſuperos duro cluſa adamante via eſt.
Neſtora Graiorum cunctis è millibus vnum
Sæcla hominum narrant trina fuiſſe ſuper.
Credite, ſic memorant vates: at fabula non eſt,
Aetatem coruum vincere Neſtoream.
Tanti erat, infauſti ſupereſſet vt ominis ales,
Et nobis cràs cras diceret vſque ſenex.
At me quis tacitâ caſtigat voce querentem,
Inuitumque aliò non meus ardor agit?
Sentio non ſolito clareſcere lumine mentem,
Hiſque animum monitis ad meliora trahi.
Deſine mortalis, diuinæ particulam auræ
Spe nimiùm fragilis incinerare boni.
Suſpice quæ cælo maneat te vita perennem,
Nec quære in terris longius exſilium.
Parce DEVS lapſo, culpamque ignoſce fatenti;
Non conſulta ſatis verba dolentis erant.
Tædia ſpe deinceps cælique, æuique futuri,
Solabor vitæ qualiacumque meæ.
Et mea iam ſeu fata vocant, ſeu ducere mauis
Longius exſilium, non queror, & ſileo.

FINIS.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

SEmisolio implendo, in quo R.P. CAROLI MALAPERTII è Societate IESV Poëmata finiuntur, R P. FRANCISCI REMONDI ex eâdem Societate Elegias subiungo: quas & styli venustate & argumenti præstantiâ magnopere placituras scio. Vale Lector, meúmque bono tuo consulendi studium benignus agnosce.

FRAN-

FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS E SOC. IESV ELEGIÆ.

ALEXIAS

Seu vxoris sancti ALEXII *Querimonia, in gratiam Romanæ iuuentutis conscripta, & in* VII. *Elegias distincta.*

ELEGIA PRIMA.

ILLA ego Romanæ virgo laus magna iuuentæ,
Quæ toties fueram mille negata procis,
En iaceo miseranda nouo sine coniuge coniux,
Penè relicta priùs quàm benè iuncta viro.
Succedit tantis etiam noua cura querelis,
Vulneret (heu!) teneros quo vagus orbe pedes.
Si mihi nota foret regio qua liber oberrat,
Inciperet certus mitior esse dolor.
Illi missa graues narraret epistola curas,
Audiretque meas forsitan ille preces.
Nectuntur scribendo moræ: prior ipsa volarem,
Atque meæ fierem nuntia tristitiæ.
Cedere nam didici furtim, te, ô ALEXI, magistro,
Et fugere è patriâ sola puella domo.
Ipse daret pedibus celeres amor anxius alas,
Præcipitique irem per loca vasta fugâ.

Nullaque virgineos tardare pericula gressus,
Dicere nec possent, Parua puella mane.
Non si Colchiaci surgant fera monstra Dracones,
Inque meos vultus, Vrse, Leoque, ruas.
Paruulus Isacides dextrâ lacerauit inermi,
Vrse, tuas fauces, & tua membra Leo.
Strauit & immani surgentem mole gigantem;
Imbelli hoc potuit funda rotata manu.
Femineam armaret diuina potentia dextram,
Et cælestis idem curreret Ales iter.
Impauida hostiles perrupit femina campos,
Et caput Assyrio messuit ense Duci.
Et metuenda etiam est mea dextera: primaque possum
Vincere virgineæ præmia militiæ.
Te, mea vita, sequar, quascumque inuiseris oras;
Vna feret tellus vnaque cymba duos.
Seu maris Ionij tumidas sulcaueris vndas,
Ionij tecum me vehet vnda maris.
Seu propiùs CHRISTVM Solymis meditaberis agris,
Blanditur vitreâ quà sacer amnis aquâ;
Prona Palæstinis CHRISTVM venerabor in agris,
Iordanisque bibam pura fluenta sacri.
Seu iuga Caucasei penetrabis inhospita montis,
Viuam Caucaseis hospita longa iugis.
Seu Libyæ deserta petes, Libyæ incola fiam:
Thressa ero, si ponti litora Threïcij.
Pulsa per extremos si te ratis egerit Indos,
Protinus immensum metiar Oceanum:
Meque docebit amor, fuerit si fracta carina,
Indociles vndis arte mouere manus.
Tā castos (heu!) ne inuideant mihi sidera amores,
Atque auidis raptam me mare condat aquis.
Ipsa suas etiam patiuntur sidera flammas;
Ipsum etiam, credo, nôuit amare mare.
Sed neque ventorum rabies, neque pronus Orion,
Nec stabilem excutiet mobilis vnda fidem.
Obruar at rapidis si fluctibus; obuia Pistrix,
In tua me viuam viscera conde, precor:
Conde, precor; sed mox, ea me, quibus errat ALEXIS,
In loca seruatam, Piscis amice, vome.
Hebræum irato sic quondam è gurgite Vatem
Insueto mitis bellua ventre tulit.
Hospitio ille nouo gaudens, illa hospite tanto,
Miratur sortem victor vterque suam.

Tertia lux aderat, cùm credita pignora Pistrix,
Scilicet illæsum reddere iussa virum,
Faucibus inuitis in apertas exspuit auras.
O statio miseris commoda naufragijs!
Si tamen in me eritis crudeles vos quoque pisces,
Naufraga si duro sum peritura mari,
Me manibus perijsse tuis, amor alme, iuuabit:
Castus honorati funeris auctor eris.
Deque meo pontus faciet sibi nomine nomen,
Et felix inter sidera sidus ero.
Nauita præteriens illâ plorabit in vndâ,
Firmabitque meâ vota marina fide;
Et dicet, Perijt quondam hîc Romana puella,
Dum toto amissum quæreret orbe virum.
Viuat tantus amor: semper sis, ô bona virgo,
Tam dilecta Deo, quàm benè fida viro.
Iam secura tenes reducem super astra maritum:
Sit tibi terra leuis, si grauis vnda fuit.
Hei mihi! quò rapior? quæ fingo somnia? falso
Me ludit viduus, dum vagor orbe, torus.
O saltem scirem quâ parte requirere possem
Te, mea lux, animi spesque metusque mei.
Et siluæ, & rupes, campique, & litora cuncta
Iam sunt facta tuâ ferrea duritie.
Non est qui nostras æquâ bibat aure querelas,
Dissipat elusos ventus & vnda sonos.
Sola pia est mecumque gemit resonabilis Echo:
Illa tamen gemitu languida facta meo est.
O mea vita redi; nam quæ te caussa moratur?
Si qua in te est pietas, ô mea vita redi.
Quòd si fortè tibi est reditus grauis, ah! precor ad te
Me, quacumque voles parte, venire iube.

ELEGIA SECVNDA.

Crudelis regio, quæ te fouet vsque latentem;
Illa meis facta est terra beata malis.
Ah! pereat, quisquis, si fas est dicere, primus
Inuiti docuit terga domare salis;
Intactum qui fregit iter, montesque subegit,
Virgineam pedibus qui violauit humum.
Septem colles, & Tibridis ostia, totus
Exigui limes tunc erat Imperij.
Tunc erat Vrbs vix nota sibi, paruoque Quiriti
Extremi Aethiopes porta Capena fuit.

Dictator numerabat oues; pressóque Senator
Fessus aratro, humili sub lare iura dabat.
Nunc quoque sic vtinam, clausis regionibus, esses
Mecum sub vili, pauper ALEXI, casâ!
Cur fugis è patriâ non vllo pulsus ab hoste?
Si tibi cura mei est, ô fugitiue redi.
Si tibi cura mei nulla est, miserere parentum:
Quem trahis, ipse iubet spiritus esse pium.
Non hæc sperabant meritæ solatia vitæ,
Et pater infelix, & miseranda parens.
Immatura vtrique paras (heu!) funera: iam iam
In tumulum tristi cum patre mater abit.
Prompta tuæ tu solus habes medicamina culpæ;
Funera regressu sunt reuocanda tuo.
Vita veni. quid enim tandem peccauimus omnes?
Totáne Roma potest esse nouerca tibi?
At ego quid merui? vel quo rea crimine dicor?
Nullum in me crimen, præter amare, vides.
Si tibi virginitas, iuuenis castissime, sancta est;
Virgineo possum viuere nupta toro.
Viuere si possum cum coniuge virgine virgo;
Cur fugis adspectus, dure marite, meos?
Este mihi testes Superi, nil firmiùs opto,
Quàm vitâ exactâ cælibe posse mori.
Connubij non vincla Venus, non fœdera nectit,
Nec facit amplexus concubitúsque virum.
Cælicolûm Regina potens, & gloria terræ,
Ipsa simul coniux, virgo, paréńsque fuit.
Cæcilia antiquæ potuit noua gloria gentis
O quàm dissimilem ducere virgo virum!
Coniugis in thalamum prima cùm nocte veniret,
Protinus exclamat, Valleriane caue;
Valleriane caue, custos fortissimus adstat,
Qui mihi libati corporis vltor erit.
Est mihi virginitas summo iurata Tonanti;
Peruigil in lectum fert sua vota sopor.
Gorgone tuta; meo caream Alite? teláque vibrans
Fingitur à vobis Pallas; inermis ero?
Crede mihi, Paridis non est hæc fabula vestri,
Cùm Menelaeo rapta Lacæna toro est.
Sum tua, tu meus es, CHRISTVM cole: sim modò virgo,
Tu pater, & coniux, & mihi frater eris.
Sic ait. Ille sacro lustratus fonte, meretur
Optato ætherij militis ore frui.
Sanguis vtrumq; iterùm fecundâ in morte maritat:
Ornat

Ornat vtrique manum palma, corona caput.
Noster Hymen tali caleat face, teda iugalis
Sentiet haud flammas, dire Cupido, tuas.
Femina virque iugo sacri subiguntur amoris:
O quanta exsistit vis in amore pari!
Ast ego te, rerum pulcherrime, semper amaui:
Sic placidi redeant in mea vota dies.
O quoties, cùm me peteret malè sana procorum
Turba, Meus, dixi, solus ALEXIS erit!
Altera vera fuit, fuit (heu!) vox altera mendax:
Es solus, sed non diceris esse meus.

ELEGIA TERTIA.

HAeccine communis mihi debita gaudia vitæ?
Hæccine quæ toties tu mihi verba dabas?
Antè suas fluuij reuocabunt ad caput vndas,
Et partum falso semine fundet humus,
Quàm te nos, virgo, ludamus amore fugaci,
Aut violem pacti fœdera coniugij.
Ad caput, ô fluuij, vestros reuocate liquores,
Da partus alio semine, terra, tuos:
Me facilem his nuper dictis elusit ALEXIS,
Et tacitam blandâ texuit arte fugam.
Nox erat, (heu memini natorum prima dolorum
Semina, & afflictæ vulnera prima domus)
Auriuomis pendent varij laquearibus ignes,
Lætâque festiuis personat aula choris:
Ergo breuem ad thalamum cùm primùm accessimus ambo,
Nunc Deus est nobis mente colendus, ais.
Ille nouo iunctas firmabit pignore dextras,
Et te præcipuo semper amore colam.
Pareo: dumque preces in longas ducimus horas,
Occupat (heu!) fallax lumina fessa sopor.
Me miserã ô nimiùm; nimiùm nox inuida, & ô tu
Somnule delicijs insidiate meis!
Curarum in terris qui diceris esse leuamen,
O mihi quot curas, perfide somne, paris!
Euigilo, & malè clausa priùs mea lumina iacto:
Excideras nostris, lux mea, luminibus.
Dirigui, nec erat stupefacto in corpore sanguis,
Factâque sum gelido marmore frigidior.
Adspicio rursus, vacuúmque cubile pererro;
Quacumque adspicerem, nullus ALEXIS erat.
Tum mihi virgineis violaui pectora palmis,
Et cœpi indignas vngue notare genas.

Præcipito è thalamis corpus, ſimiliſque furenti
Crinibus effuſis atria mœſta peto.
Accurrunt famuli celeres, trepidæque puellæ,
Et pater exſanguis, ſemianimiſque parens,
Quid memorem lacrymas, & femineos vlulatus,
Primáque nocturni tempora ſupplicij?
Quid iuuat inuiſum toties renouare dolorem,
Et mala narratu non medicanda meo?
Noſter Auentino clamor tonat vndique colle,
Imbribus intumuit Tibridis vnda meis.
Et mihi tunc omnes fuit impetus ire per vrbes,
Horridáque irati ferre pericla maris.
Nec pudor aut ætas obſtabat, paruáque viſa
Sunt deſiderio terra fretúmque meo.
Sed tua me violenta domus, genitrixque, patérqu
Continuitque meam Roma inimica fugam.
Mox tamen vt viſura meos Aurora dolores
Sidereas mœſto diſpulit axe faces,
Noſtræ ſumma peto celeri pede culmina turris:
Vrget amor : quid non ſedule cogis amor?
Proſpicio; ſuperant acie mea lumina lynces;
Nulla tui ante oculos venit imago meos.
Corruo; deficiunt vires; in brachia tollunt
Me famulæ; infenſus liquerat oſſa calor.
Omnia votiuis onerantur templa tabellis,
Pulsáque continuis fletibus ara gemit.
Vndique miſſa cohors oculis vigilantibus exit,
Et toto coniux quæreris orbe meus.
Quæreris, & toti cùm ſis incognitus orbi,
Hoſpitio terra eſt tota ſuperba tuo.
Ah ! precor ignoret quæ te videt ora vagantem,
Iſto ne mihi te capta decore neget.
Si reditum ſtatuis, quacumque erraueris orã,
Id ſatis eſt vt ego, túque, tuíque ſciant.
Sed quauis regione erres; ſi protinus adſis,
Ignoſco longæ tempora dura moræ,
Idem cauſſa mei ſies medicináque morbi :
Dulcia ſunt medicâ vulnera facta manu.
Viuam iterùm, viuam, cùm me, mea vita, reui
Cùm, mea lux, venies, luce repentè frui.
At moræ, ALEXI, moram ſi neſtis; q
mihi ſemper
Mors incerta tua eſt, tam mihi certa mea eſt

E I

ELEGIA QVARTA.

HEi mihi quàm duras patior sine crimine pœnas,
Materies miseræ fertilis historiæ!
Impresso nutrix rorantia lumina lino
Siccat, &, O, dicit, pone, puella, metum.
Ille fidem seruat, tuus est rediturus ALEXIS,
Non illo Romæ sanctior vllus erat.
Tempora signat amor: reditus mihi longior iste
Iam fit Odysseâ, durior Iliade.
Improba nidificans cæcum quem fecit hirundo,
Dum lassa vrgenti membra sopore leuat,
Sponte licet natum certas misisset in oras,
Et spes de reditu non minuenda foret;
Attamen assiduas agitans cum coniuge curas,
Vix vllam poterat sustinuisse moram.
Mater multa gemens, Ah quò te misimus, inquit,
Vnice amor, matris gaudia, vita patris!
Quæ mihi te & patri succurrere, nate, coëgit
Pauperies, tecum gratior vsque foret.
Et pater, O miseræ solatia sola senectæ,
Iam pridem cæco tu mihi lumen eras.
Te retinet durus si debitor, inde recede:
Tu potior magnis es mihi diuitijs.
Huc propera, ductore tuo cum sospite sospes,
Et canis aduentum nuntiet antè tuum.
Sic ait: ex oculis ibant duo flumina cæcis,
Clausus luci oculus, fons fit apertus aquis.
Ast ego quid faciam, quâ tu clàm, sponse, relictâ,
Sic fugis? heu quid agis? quóve morare loco?
Quàm vereor ne fortè audis iam cesseris astris!
Hei mihi! tristitiæ summa fit ista meæ.
Et semper facies in nomine pallet ALEXIS,
Cùmque meo assiduus certat amore timor.
Seu rutilat puro Phœbus seu Cynthia curru,
Tu mihi nocte metus, tu mihi luce dolor.
Nulla mihi requies, neque Sol sine nubibus ibit,
Dum Sol & nostræ caussa quietis abes.
Non mihi Erythræi serpunt per colla lapilli,
Gemma nec vlla meis ardet in articulis.
Nec vidui certâ nodantur lege capilli,
Nec mihi sub Coâ veste superbit humus.
Quid mihi si Crœsi sine te fluit aureus amnis,
Ebriáque in Tyrio murice dormit ouis?

Indica

Indica si sine te pretioso terra Adamante
  Grandinat in comptas prodiga facta comas?
Quid mihi si grauidis turgent in collibus vuæ,
  Totáque defesso sub boue terra gemit?
Si Calabrâ tonsi flores ape mella ministrant,
  Lasciuit Siculo si grege pinguis ager?
Hæc curent, quibus inter opes,& eburnea tecta,
  Aurea Tantaleo fallitur amne sitis.
Nec sumus ex illis, longam quibus inter amicos
  Tristitiam frangunt munera, Bacche,tua,
Odi suffusas radianti lampadas auro:
  Aurea sunt oculi lampas, A L E X I, tui.
Non ego delector cīthară, fidibúsque canoris:
  Sola mihi gratum vox tua carmen erit.
Non mihi Panchæo nubes efflantur odore:
  Suauis odoratâ tu mihi messe magis.
Non mihi sidereis gemmascunt floribus arua:
  Tu narcissus eris, tu mea sola rosa.
Ductáque textilibus ramis non vitis obumbrat,
  Nec leuat ardores lympha petita meos.
Et sopor omnis abest : si, te fugiente, fefellit,
  Non fallet sensus, te redeunte, meos.
In te debuerat potiùs conuertere vires,
  O sopor infelix,in mea damna vigil !

ELEGIA QVINTA.

O Mea lux & vita,redi:tibi brachia pando,
  Brachia iam nimiâ pænè soluta prece.
Est locus, in nostris quà fons pulcherrimus hortis
  Surgit, Auentini pars memoranda iugi.
Et meminisse potes, nisi dudum mente recessit,
  Coniuge cum spretâ, tota paterna domus.
Hîc nemus vmbrosum , & variæ longo ordine sedes,
  Clausáque diuisis atria porticibus.
Hîc celebri pictura nitet spectabilis arte:
  Est operi merces magna perennis honor.
Aut se naturam putat ars certamine victam,
  Aut natura ipsum se putat artificem.
Hîc ego per longos duco suspiria soles,
  Dum perimit sensus viua tabella meos.
Depictus parte in læuâ mihi scilicet orbis
  Panditur , hîc tellus stat mihi, & vnda fluit.
Hei mihi ! depictos compellor discere mundos,
  Atque per illusas currere mente vias.

Quà

Quò se cumque ferunt oculi, Meus ardor ALEXIS
  Forsitan hinc, dico, forsitan inde venit.
Quis scit an & stabiles illis in montibus ædes
  Fixerit ? ô vitæ prompta ruina meæ!
Hæc illi tremulæ texunt vmbracula siluæ:
  Has inter rupes durior ille latet.
Illic horrifico nigrescunt æquora nimbo,
  Ah ! ne fortè mei sit ratis illa viri.
Ast hæc quæ regio ? Syria est; hîc forsitan errat,
  Eius erat semper multus in ore Syrus.
Hîc ego te in somnis hesternâ nocte videbam:
  O quæ sollicitus somnia fingit amor!
Et fuit vrbs (species nisi me nunc fallit) Edessa,
  Templáque sublimi conspicienda tholo:
Hîc te Virgo parens peregrinâ in veste latentem
  Monstrat; tu contrà protinus vrbe fugis.
Dure vir, ah ! tandem cælestibus annue monstris:
  Adspicis ? à Dominâ proderis ipse tuâ.
Votorum, ô Virgo, spes non frustranda meorum,
  Primáque virginei gloria connubij,
Si tua diuitibus cumulaui altaria donis,
  Cultáque Galbaneo fumat odore domus;
Si tibi gemmifero cinxi diademate frontem,
  Et micat ante aram pendula flamma tuam;
Vrge, Diua, virum, dum me patriámque requirat,
  Fac aliâ nequeat parte quiete frui.
Dum tenebras quærit, manifestâ in luce patescat;
  Dúmque tacet, fiat quælibet ora loquax.
Dum fugit, immoto stupeat pede; dum freta sulcat,
  Nauis marmoreas hæreat inter aquas.
Occultum increpitet tellus & pontus ALEXIM,
  Et coniurato murmure dicat, Hic est.
O sopor, & picti species ô vana coloris !
  Hei mihi ! quàm varijs ludor imaginibus!
Nocte diem verso : certat pictura sopori;
  Fingere quod nequit hæc, improbus ille facit.
Ipsa meas ergo picturis educo curas,
  Soláménque bibo, materiámque mali.
In tabulâ specto terrásque, vrbésque, hominésque,
  Astráque, & immensi litora cuncta maris.
Crudeles tabulæ, crudelis tu quoque pictor,
  Inter tot mundos vnus ALEXIS abest.
O mihi si referas, quo vir meus orbe moretur,
  Orbem habeas, pictor; tu mihi redde virum.
At pa[illegible] ex aliâ CHRISTI vitámque necémque
  Cognato memorat docta colore manus.

Inter

Inter tam varias species miseranda figuras,
Vna meum ante alias sensum animúmque rapit:
Amissum in Solymis puerum mœstissima Virgo
Quærit, & ignotas itque reditque vias.
O quas illa preces, ô quæ suspiria fundit,
Dum vocat errantem nocte diéque Deum!
Et stupet, & nescit cur sese subtrahat infans,
Scit tamen hunc culpâ non abijsse suâ.
Heu! quid agat? redeátne domum? Solymósne peragret?
Nec Solymi natum, nec domus vlla docet.
Virgo est, & mater: certat natura pudori,
Dum natura iubet, quò vetat ire pudor.
Spes animat sensum, timor opprimit: inter vtrumque
Pignore Diua parens státque cadítque suo.
Præbet amor vires, dolor eripit: vndique pugnant
Damna ferunt; cunctis fluctuat vna malis.
Arte licet clara reddi non omnia possunt;
Admotam remoue, pictor amice, manum.
Flet pictura, tamen vero caret illa dolore,
Mentitáque color labitur in lacrymas.
Sola meis lacrymis, Virgo, tua flumina monstro;
Quàm propriè curis pingeris ipsa meis!
Naturam natura æquat, meliúsque refertur
Imbre imber, curis cura, dolore dolor.
Historia hæc mea fit; redeunt iam tempora prisca,
Nomine mutato picta tabella mea est.
Tunc, ô tunc experta meos, Regina, dolores!
Cur non in miseræ conscia curris opem?
Cum gemitu gemitum, cum poenis confero pœnas,
Atque tuos casus metior ipsa meis.
Si longum visum est, tibi scilicet, attamen illud
(Da veniam dictis) perbreue tempus erat.
Extulit Eoo ter ab æquore, ter quoque lassos
Occiduo Titan gurgite mersit equos:
Attonitos inter Proceres, legúmque magistros,
Templum vbi sublimi sidera fronte ferit.
Securâ puerum reperis in sede locatum,
Cúmque illo, & fido coniuge, læta redis.
Ast ego quot Soles numero! si credis amanti,
Quolibet in spatio sæcula mille traho.
Iam didici stellas, iam Lunæ tempora noui,
Eois iam sum doctior Astrologis.
Surge, áge, pacato sidus mihi nascere cælo,
Aetheriásque nouo lumine vince faces:

Quale

Quale Magos olim CHRISTI ad cunabula Reges
 Duxit,& optatam constitit ante casam:
Nascere, & ambiguum radijs mihi percute ALE-
 Ibo,nec incertas pes teret vsque vias. (XIM:

ELEGIA SEXTA.

AH!ne fortè velis stabulo te cōdere & vmbris,
 Nescio quo Solymâ non procul arce loco.
An raperis CHRISTI præsepibus? ipse solebas
 Plurima de puero déque parente loqui.
Quàm vereor ne sit vates tua mater, ALEXI,
 Et ne præsagâ mente futura canat?
Nam tacito mecum nuper collecta cubili,
 Multa mihi afflictæ dum memoraret anus;
Virgo,inquit,coniúxque mei fidissima nati,
 Heu! procul à nostrâ vir tuus vrbe latet.
Non potuit frustrà domibus cessisse paternis:
 Qui fugit hinc furtim,non rediturus abit.
Romam namque sui cupidam si fortè rediret,
 Sese vel facie proderet ipse suâ.
Adde quòd occultâ si vult in parte latere,
 Non colet vrbanos,patria tecta,lares.
An periere Getæ? prohibet Thrax,aut Garamātes?
 An desunt latebræ,Punica terra, tuæ?
Clausáne Iordanis sunt ostia ? scilicet ille
 Romanâ ignotum quæret in vrbe locum.
Crede mihi, virgo,veniet si noster ALEXIS,
 Huc sua conspicuâ nomina fronte feret.
Nil desperandum: non hæc sine Numine fiunt,
 Quàm credis veniet forsitan ille priùs.
O vtinam felix redeat, plausúque Quiritum
 Victo quadriiugis orbe triumphet equis!
Sic fatur tua mœsta parens,lacrymísq; madescit:
 It comes ex oculis æmula gutta meis.
Ergóne semper eris Romanis exsul ab oris,
 Et vagus extremis incola litoribus?
Quis scit an & procul hinc, tuguri sub culmine, posthac
 Crudeli iaceas nudus in hospitio?
Ah! ne te pluuiæ, ne te mala frigora lædant,
 Ne rigeant duro mollia membra gelu.
Vos cohibete Hyades, Boreæ mansuescitè flatus,
 Bruma,precor,sponsum mitiùs vre meum.
Spargite,saxa,pias collisâ fronte fauillas:
 Ex isto lapidum vulnere surge calor.

Nix, auerte aliò tacitum, tua pondera, vellus:
Candidus est nimiùm, non eget ille niue.
Parcite flagrantes æstiuo tempore soles:
Intus alit flammas, non eget ille face.
Hei mihi! ne facilis sitienti lympha negetur,
Ne sedeat pulchro turpis in ore fames.
A me, sed frustrà, tibi mensa paratur, ALEXI;
Non est hinc posit qui tibi ferre dapes.
Aliger, arreptam summo me crine per auras
Non metuenda mei transfer in antra viri.
Haud ille est Daniele minor pietate fideque,
Et meus, ô Habacuc, maior amore tuo est.
O peream, ex istâ si pòst ego sede recedam!
Nullæ vrgent messes, Ales amice, vale.
Quòd si me noles, tristemque fugabis, ALEXI,
Pulsa tuos moriar protinus ante pedes.
Mors erit hæc felix, coniux carissime; viua
Quæ nequeo, tecum mortua semper ero.
O dulcis tumulus, thalamoque beatior omni,
Si fuero manibus virgo sepulta tuis.
Et quoties tumulum spectabis, gemmula pro me
Ex oculis veniet forsitan vna tuis.
At si me tecum patieris viuere, sat mi
In tuguri paleis angulus vnus erit.
(Iam Romana domus, iam culta palatia sordent;
Tu mea Roma, in te Regia tota mea est.)
Illic nupta viro famulabor, pauper egenti,
Semper in hoc vno peruigil obsequio.

ELEGIA SEPTIMA.

FOrsan ab immani premeris nunc gente: tacebis?
Et poteris mediâ viuere barbariâ?
At mirum est vlli quòd sis incognitus orbi:
Tu cæcis oculos, pulcher ALEXI, dares.
Quem quis amat, facilè agnoscit, sequiturque, fouetque:
Te qui, dum cernit, nescit, amore caret.
Cæcus erat, credo, qui cæcum finxit amorem.
Non ego cæca forem, te quia semper amo.
Lumine me non priuat amor, sed priuat amante.
Ah! mihi sic oculos in mea damna facit!
Hebræus, Pharijs quondam Rex alter in oris,
Horrea pellendæ pandit amica fami.
Coràm adstat, loquitur, præsentē agnoscere fratrem
Vndeni fratres non potuere suum.

Tòtne

Tótne oculos vnus potuit tunc fallere vultus?
Non mirum, exstincti crimen amoris erat.
At potuit cur ille suos agnoscere fratres?
Præuia fax oculis ardor amoris erat.
O vtinam coràm ad stares! licet ipse taceres,
Non fugeres oculos, lux mihi nota, meos.
Ergo aliquâ forsan (miseram me!) ignotus in vrbe
Exigis innumeris tempora longa malis.
Ah! quoties hominum ludet te stulta caterua,
Inque tuas aures turpia verba vomet!
Irruet (ah!) quoties Stygijs armata flagellis,
Subditaque in torro verbere terga teret!
Impia turba tace; quid enim peccauit ALEXIS?
Parce agitare meum, turba inimica, virum.
Ne meus ex illo decurrat vulnere sanguis,
Ne violent aures sordida verba meas.
Imò agite, atque in me rabiem conuertite vestram,
Sit mea pœna; meus liber ALEXIS eat.
Heu! solus volet ille pati, stabilesque parare,
Alta quibus tandem scandat ad astra, gradus:
Qualis in ætherias scalis sublimibus arces
Fusus humi Iacob corpore, mente subit,
Innixumque Deum scalis suspexit, & agmen
Aligerum alternos ire redire gradus.
Nescio quid mea mens, coniux, de te augurat; olim
Te sacro supplex orbis honore colet.
Templa tibi surgent, multisque vocabere votis:
Iam te prima voco, iam tibi vota fero.
Te per ego has lacrymas oro, per & integra sancti
Fœdera connubij, virgineumque torum;
Per mihi crudeles, quos non violaui, Hymenæos,
Perque tuam inprimis, caste marite, fidem;
Te per eos etiam, qui te genuere, parentes,
Per patriæ atque domus squalida tecta tuæ;
Hæc si non flectunt, per ego te Virginis almæ
Viscera cara precor, per genitumque Deum;
Huc ades ô tandem, viduasque reuertere in ædes,
Aut adhibe vitæ me comitemque viæ.
Quod facies, faciam; quò perges, ipsa præibo;
Cum cantante canam, cumque gemente gemam:
Cumque viro coniux viuam, cum virgine virgo;
Corporeque in gemino mens reget vna duos.

Sic spero: cernent iterùm mea lumina ALEXIM:
Si non sperarem, iam mihi clausa forent.
Heu! ne te videam tacita iam morte peremptum,
Et misero exanimem coniugis in gremio.
Rursum agitor curis, succedunt fluctibus vndæ,
Turbinibusque nouis orta procella furit.
Secum alium ventus vocat in præcordia ventum,
Alter & alterius prœlia miscet ope.
O vtinam, ne post tua funera viuere possim,
Tempestas animam sorbeat ista meam!
Sum virgo, genitrixque simul fecunda dolorum:
Iamdudum hos plenâ tu seris ipse manu.
O vtinam totus, ne post tua fata superstes,
Cum celeri matris funere pàrtus eat!
Spero igitur, timeoque; animus mihi nutat v-
trimque,
Quid sperare magis, quidve timere queat.
Spesque, timorque, dolorque, & amor, pietasque,
pudorque,
Hei mihi quanta vno in pectore bella mouent!
Nec video infelix quâ stet victoria parte;
Viuere quâ liceat, quâ mihi sorte mori.
Sed modò te viuum inueniam, mihi vincula nectat,
Deque meo castus corde triumphet amor.
Vince amor, & ne se captus subducat, eumdem
Fac, precor, ad currum vinctus ALEXIS eat.

AD SS. DOMINVM
CLEMENTEM IIX.
PONTIFICEM MAX.

MAgne Parens, mea Musa cupit tibi dicere
laudes;
Illa sed in laudes deficit vsque tuas.
Forsitan augebunt inuita silentia laudem;
Sæpè venit tacito maius ab ore decus.
Tu sacris totum moderaris legibus orbem;
Redditur exemplo sanctior ille tuo.
Itala Threïcius per te pauet arma Tyrannus,
Et capis auxilijs opida multa tuis.
Bosphorus ah! tandem Tiberim colat, ah! prece
erret

Hellef

Hellespontiacâ naufragus hostis aquâ.
Concilias Superis Regem, Gallisque mederis;
Flectitur ille tuum pronus ad imperium.
Læta tuos cernit Ferraria victa triumphos,
Romano, nullâ cæde, subacta iugo.
Huc venit Hesperidum Regi nuptura potenti
Virgo, tuâ nupsit facta beata manu.
Huc properant clari Proceres, dant oscula plantis,
Aemulaque officiis funditur Italia.
Vix sperata vocas summos in fœdera Reges:
Hæc aliâ fieri non potuere fide.
At redeunt annis bis denis quinque peractis
Exspectata sacræ tempora lætitiæ.
Tunc est visa tuæ pietatis Roma theatrum;
Dum populos omnes pascis vtroque cibo.
O quoties cecinit (memini,atq; his auribus hausi)
Attonitus laudes Orbis in Vrbe tuas!
Felici per te nunc Gallia Rege triumphat;
Coniux est factus coniuge, prole pater.
Quid memorem lacrymas,ieiunia,vota,precesque,
Quasque tuo curas pro grege Pastor obis?
Iamdudum afflicti sperant meliora Britanni,
Cælestem per te Græcia sentit opem.
Quæ regio in terris,quæ gens tam barbara,cui non
Vera tuis monstres lumina sideribus?
Diuinis fit clara opibus,te Principe, Roma,
Inque redit priscus templa vetusta decor.
Dumque tuâ semper mensâ dignaris egenos,
Regales pauper vincit honore dapes.
Tu vigilans fidei custos, tu denique Pastor
Moribus & vitâ sanctus, vt imperio.
O quid ago? vel quo rapior temerarius ausu,
Et rudis immensum per mare nauta feror?
Hoc opus est nostris (ætas mihi crede futura)
Viribus & studio maius, & ingenio.
Tutior est,meliusque potest reuerentia muta
Dicere de tanto Principe: Musa tace.

AD
HENRICVM IV.
GALLIÆ ET NAVARRÆ
REGEM
CHRISTIANISSIMVM.

O Rex magnanime, ô summorum gloria Regum,
Certa salus regni deliciæque tui,
Nostra vtinam digno celebret te carmine Musa!
Nil magis illa cupit, nil minùs illa potest.
Tu decus armorum, tibi sunt certamina ludus,
Et labor est requies, & vigilare sopor.
Ad tua iussa animos miles parit; & satis vna est
Vox ad decretum, nutus ad imperium.
Ipse præis, factisque iubes: micat anteuolatque
Et pes decretis, & manus imperio.
Victor ad arma venis: nec pugnas, quin tibi faustis
Certior auspicijs antè triumphus eat.
Sic galea est laurus, palma ensis, pugna trophæum;
Et certare tibi, & vincere, semper idem.
Sed tua cum telo clementia fertur in hostem;
Dumque feris hostem, tu prior ipse doles.
Cogeris ad bellum, nec ab hostis corpore fracti
Absque tuis lacrymis gutta cruoris abit.
Et tibi prorsus idem est vlcisci & parcere; & hosti,
Dum generosa furit dextera, præbet opem.
Tu velut horrificum ruis in fera prœlia fulmen,
Et victor victo mitior inde redis.
Sic, sic te superas, alios quia vincere parum est;
Et nisi sint de te, nulla trophæa putas.
Materies (hoc solum obstat) te deficit omnis:
Te minor es, vires non capis ipse tuas.
Quid memorem, Princeps, pacati commoda regni?
Quàm benè des populis debita iura tuis?
Bellica laus pacis, pacis laus æmula belli est:
Pugnarent, totus ni tuus esset honor.
Et tuus iste augetur honor, cùm pectore grandi,
Quidquid agis, censes semper id esse parum.

Vecta

Vecta triumphali tibi pax benè parta quadrigâ,
Cum bello inuictum cingit vtrimque latus.
Te Patrem ac Regem veneratur Patria; cùm tu
Non tam Rex dici, quàm Pater esse velis.
Est tua iuratis maior constantia dictis:
Quin iurare tibi est non violare fidem.
O legum vindex! vitæ ô solatia gentis!
Vis pugnæ, belli gloria, pacis amor!
Et miretur adhuc domitam se Gallia? mirum est
Totum orbem ante tuos non cecidisse pedes.

AD ILLVSTRISSIMVM COMITEM POMPONIVM TAVRELLVM

in suo Clariculo monte otiantem, responsio.

Reddo tibi caram flagranti Sole salutem:
Reddere sic iussit qui magis ardet amor.
Spernit amor brumæque niues, flammasq; Leonis,
Nec leuis incepto cessat ab officio.
O liceat molles tecum mihi carpere ventos,
Languidaque vmbrosis ponere membra iugis.
O liceat longos tecum mihi fallere Soles,
Dum rapis argutâ saxa ferasque lyrâ.
Illic, vernat vbi tellus, siluæque virescunt,
Errat vbi trepidâ garrula lympha fugâ:
Colle vbi fecundo vitis lasciua maritat
Tam benè deductis vlmea tecta vijs.
Iam me nec Tibur moueat, nec Thessala Tempe,
Nec Larissæi pinguia prata soli.
Sit despecta Rhodos, neque vatum gloria Olympus
Clariculo posthac sit mihi monte prior.
Hîc te, POMPONI, dum spectant prata nemusque,
Te veluti numen prata nemusque colunt.
Hîc tua diuinos effundunt otia fetus,
Otia vel curis nobiliora tuis.

Grande operi pretium est sic degere; linquere turbas,
Et procul illæsos ducere ab vrbe dies.
Non tamen est solus, qui secum viuere discit,
Nec trahit in duras tempora longa moras.
Mens hominis si secum habitet, secumque loquatur,
Sit licet in siluis, illa senatus erit.
Alta sedet, seseque vocat, parcitque, iubetque,
Et regit, & partes temperat illa suas.
Illa suas tutatur opes; nec quærere curat,
Quo vento infidi mugiat vnda maris.
Non illam insani tangunt ludibria vulgi,
Nec metuit fraudes, aulica turba, tuas.
Nec ruit in Venerem, nec pocula miscet amanti,
Nec tecum admotis, Tantale, anhelat aquis.
Vritur at potiùs flammâ meliore, bibitque
Cælestes pleno gutture delicias.
Te talem, vir magne, beas, animumque serenas,
Dum te Clariculi detinet aura tui.
Quis mihi te reddat? vel me tibi? ludimur ambo.
Me tibi Parma negat, te tua villa mihi.
Exspectas hiemem ad reditum? mora longa futura est,
Et desiderio tardior hora meo.
Vt nunc in viduam redeat POMPONIVS vrbem,
Surge Aquilo; immiti frigore, bruma, veni.

APPROBATIO.

Poëmata hæc CAROLI MALAPERTII *è Societate* IESV *Sacerdotis, & ingenij acumine, & styli nitore, & pietatis ardore ita excellunt, vt è calamo in prælum, è prælo in manus eruditorum meritissimò transfundi possint. Quod seriò testor* XXX. *Octobr. anno* M. DC. XV.

Egbertus Spitholdius
Plebanus Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, *Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum est, nequis,* Caroli Malapertij è Societate IESV Poëmata, *præter Balthasaris Moreti voluntatem imprimat, aut alibi excusa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* IX. *Nouembris,* M. DC. XV.

Signat.

N. Lombaerts.